Q. D. B. V!

EXERCITATIO THEOLOGICO-HISTORICA

De

ECCLESIÆ JUDAICÆ PROPHETIS

IN GENERE,

Quam

Ex decreto summe Reverendi Theologorum Ordinis

in

ACADEMIA LIPSIENSI

Pro

LICENTIA

assumendi suo tempore Gradum

DOCTORIS THEOLOGI,

D. IV. & V. Julii, A. O. R. MDCCXIV.

collatis mutuo sententiis

publice tuebitur

JOHANN. GOTTLOB CARPZOVIUS, Dresd.

S. Theol. P. P. Extr. & ad Ædem Thoman.

Lipsiæ Ecclesiastes.

LIPSIÆ,

Literis Jo. HEINRICI RICHTERI.

VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis,

Consultissimis, atque Prudentissimis

Inclytæ Reipublicæ Lipsiensis

DOMINIS

CONSULIBUS,

PROCONSULIBUS,

ÆDILIBUS,

PRÆTORIBUS,

TOTIQUE ORDINI SENATORIO GRAVISSIMO,

DOMINIS ET PATRONIS ~~SU~~ ME IS

singulari veneratione & cultu prosequendis,

omnigenam precatus prosperitatem,

hanc

pro Licentia Disputationem

sacram esse jubeo!



On consuetudine, sed ratione ductus, sub illustris Vestri nominis præsidio, hoc qualecunque specimen luci publicæ expono, ut quicquid ex se non habet nitoris, ex illius mutuetur splendore. Cujus quidem consilii justas mihi videor gravesque habere causas. Non enim heri est, aut nudius tertius, ex quo Carpzovios benigne excepistis, in sinu fovistis, variisque in utraque republica honoribus auctos, Vobis obstrinxistis: sed complurium jam lustrorum fert affectus ille ætatem, & ex hoc temporum tractu tantum abest, ut quid deferbuerit, quod fieri alias facile consuevit, ut potius nova indies ceperit incrementa, & ad hunc diem intaminatus perduret. Qu[...] factum est, ut divinis auspiciis me quoque, nihil ta[...]le vel cogitantem, vel de Vobis meritum, e patri[...] in vestram accersere ecclesiam, muneri sacro ad[...]movere, admotum tantis ac innumeris cumular[...]

benef[...]

beneficiis, e re duxeritis, quibus ex merito deprædicandis imparem me prorſus profiteor. Neque vero ea mihi mens eſt; ut crebris ſalutationibus graviſſimas, quas pro reipublicæ ſalute asſidue volvitis, curas intercipere, & vel hac ratione nomen apud Vos coram profiteri, frequenter auſim. Plus enim ſatis Vobis ſalutatorum eſſe intelligo, nec tam quæſitis verborum phaleris, aut ad ſeculi genium ac morem compoſitis Vos delectari opinor ſermonibus, quam ut quisque recte potius officium faciat, tacitaque animi veneratione Veſtras proſequatur virtutes. In quod me hactenus incubuiſſe ſedulo, ex vero affirmare poſſum, nihilque me prius habuiſſe aut antiquius, quam ut pietatem Vobis, animi vitæque integritatem auditoribus, conſcientiam demum ſupremo omnium Statori ac Numini, quoad cœleſti datum fuit munere, probarem. Nunc autem, ubi ea ſe offert occaſio, qua citra adulationis ſuſpicionem aut notam, devinctiſſimam tot in me meritis Veſtris mentem publice teſtatam facere licet, mearum vel maxime eſſe partium cenſui, qualemcunque ſuſpendere grati animi tabulam, & mola ſalſa litare, cum hecatombis non detur. Deum itaque O. M. ſupplex veneror, ut prudentiſſimis conſiliis Veſtris, quibus, divino beneficio, exulceratiſſimis

licet

licet temporibus, stetit hactenus respublica Vestra, benigniori aura adspiret, eosque largiatur successus, quibus & ecclesia, doctrinæque, quæ in illa sonat, integritas inconcussa persistat, & Urbis hujus florentissimæ ne quid detrimenti capiat salus: Amplissimum vero Ordinem Vestrum intaminatis fulgere honoribus, eamque Vobis felicitatem propriam esse jubeat & sempiternam! Dabam Lipsiæ, V. Nonar. Julii A. O. R. MDCCXIV.

Magnificorum Amplissimorumque Nominum Vestrorum

Cultor observantissimus
Johann. Gottlob Carpzovius.

CON

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

§. I. Evolutio voc. נביא / quæ Theologum prisci ævi notat.

II. Significatio & discrimen voc. נביא & חוזה / רואה Synonyma reliqua, ubi de origine & significatione vocis προφήτης.

III. Alii improprie, proprie alii Prophetæ dicti, quorum definitio & ratio formalis.

IV. Prophetiæ autor supremus solus Deus est: non diabolus, licet futura nonnunquam præsignificans:

V. Non hominum sagacitas, vel industria, aut causæ naturales: ubi Pet. Petitus concise, & fusius Spinosa confutantur.

VI. Divina revelatio vel civilis est: vel Sacerdotalis: vel Prophetica; quarum postrema rursus p. a Judæis, p. a Christianis Doctoribus varie,

VII. a Spiritu Sancto vero in visionem, somnium, ænigma, figuram, & illam, quæ ore ad os appellatur, distinguitur, quibus accensetur Filia vocis, & θεοπνευστία, ut &, ex nonnullorum mente, revelatio per angelos facta.

VIII. Præparationes ad recipiendum donum Propheticum sunt 1) Scholæ Propheticæ:

IX. 2) Usus Musicæ sacræ:

X. 3) Et Ecstasis, a raptu distinguenda.

XI. Prophetica vero dignitas non angelorum, sed hominum est, (1) utriusque sexus, (2) etiam illiteratorum & tenuium, (3) imo & impiorum nonnunquam, velut Bileami.

XII. Semper tamen (4) in externo ecclesiæ cœtu constitutorum, quod

quod contra Spinosam defenditur, non obstantibus vel Prophetis, quos Judæi venditant, gentium, vel Sibyllarum oraculis.

XIII. *Objectum Prophetiæ sunt quævis res arcanæ & abstrusæ, sive præsentes, sive præteritæ, sive futuræ: maxime Christus, ejusque beneficia, quod contra Manichæos, Theodorum Mopsuestenum, & H. Grotium asseritur.*

XIV. *Forma Prophetiæ* tam *in perceptione rerum revelatarum versatur, quæ non per modum habitus permanentis, sed actus transeuntis se habebat, variaque complectitur: ita tamen, ut non abreptitiorum more nescientes, quid dicerent, vaticinarentur; quanquam significationem visionum non semper vel statim in numerato haberent; & ut porro certi essent, se a sancto Numine agi, non illusiones Satanæ pati.*

XV. quam *in prophetiæ facta cum aliis communicatione, quæ vel simplex & aperta, vel symbolica erat, talis tamen, ut promulgatione publica intercedente in omnium illa notitiam perveniret.*

XVI. *Officium Prophetarum situm erat in 1) docendo, 2) reformando, 3) futura denunciando, 4) intercedendo, 5) neglectam disciplinam vindicando, 6) libros sacros consignando; cujus tamen respectu Prophetæ non iidem erant ac Scribæ vel Actuarii reipublicæ, quod vult Rich. Simonius.*

XVII. *Characteres Prophetarum sunt 1) prophetiæ cum canone doctrinæ consensio: 2) ejusdem implementum: 3) consensus & testimonium aliorum Prophetarum: 4) vitæ integritas: 5) oraculorum vis ac pondus: 6) miracula: 7) intrepida παῤῥησία: (8 varia divinitatis indicia & documenta.*

Q. D. B. V.

A

Q. D. B. V.

§. I.



QVos Græca appellatione Prophetas vulgo dicimus, haud alia magis proprie Hebræi reddunt, quam voce נביא / cujus nativa significatio a prima ejus origine est arcessenda. Hanc vero minus commode alii, cum R. Salom. Jarchio *ad Exod. VII,1.* ad verbum נוב / quod *progerminare*, tum & *eloqui* est; alii, cum Aben Esra, ad radicem בוא *venire* referunt, ingenio & conjecturis plus æquo indulgentes; cum proxime a voc. נבא ortum trahat: quod generatim quidem *vatem ac Prophetam agere*, in specialiori autem sensu & *futura prædicere* notat Deut. XIII, 1. 2. Num. XII, 6. Jer. XXVIII, 8. 9. & *orare*, vel *sacra carmina* instrumento Musico vel cantu *modulari*, 1. Reg. XVIII, 29. 1. Sam. X, 5. 6. XIX, 24. 1. Chron. XXV, 1. 2. 3. & *interpretis oraculorum divinorum partes obire*, vel Scripturam explicare Exod. VII, 1. coll. cum c. IV, 14. Os. XII, 10. 1. Cor. XIII, 9. Sive ergo τὸν נביא vatem appelles, futurorum vel certe arcanorum nuncium; sive Deo plenum Musicum, hymnos Numini ac pæana canentem; sive cœlestium mysteriorum interpretem; nihil a Prophetæ muniis ac indole dixeris alienum. Eodem, ni fallor, tendunt, quæ pereruditе de vocis significatu & ortu tradit Heidegg. *Exerc. Bibl. VIII. §. 27. p. 233.* נביא *proprie est omnis verborum alienorum, ex alieno, non proprio nutu & voluntate pronunciator, orator,*

 qui,

qui, ut R. D. Kimchi loquitur, Echo ad instar, nihil profert au[t] profatur, nisi quod prius accepit. *Radicem vocis, nisi fallor, custodivere Arabes, apud quos* נאב *vicem subeundi, vicariam operam præstandi notionem habet. Nam orator illius vicem loquendo explet, cujus orator est: atque ita optime* נביא *dicitur. Est igitur* נביא προφήτης *Propheta, Dei videlicet, proprie is, qu[i] voluntatem Dei recte perceptam, non suam, ceu os Dei loquitur vel, ceu calamus Dei, scripto consignat. Neque refert, quali[s] illa voluntas Dei sit, præterita, præsentia, an futura concernat dummodo loco & vice Dei loquatur id, quod loqui Deus, Spiritu[s] Dei jussit.* Paulo aliter, sensu tamen non multum dispar apud celeb. Campeg. Vitringam *de Synagog. lib. I. Part. II. c. 7. §. 3. 4.* Propheta τῦ Θεολόγυ apud Græcos encomio ac titulo respondet, in quantum uterque in divinæ voluntatis ad ho[-] mines denunciatione ac explicatione versatur. Et huc for[-] te respexerunt Patres Ecclesiæ priscæ, cum Prophetas Θεολόγυ[ς] *rerum divinarum consultos* dixere. Ita Pseudo-Dionysiu[s] *Cap. 8. de Cœl. Hierarchia p. 95.* τῶν Θεολόγων εἷς, ὁ Ζαχαρίας, *Pro[-] phetarum quidam, nomine Zacharias:* & *p. 96.* ἕτερος τῶν Θεολό[-] γων, Ἰεζεκιήλ, *alius Propheta, Ezechiel.* In quem locum it[a] commentatur Pachymeres *p. 104.* τὰς ἱερὰς προφήτας Θεολόγυ[ς] φησὶν, ὡς λόγυς Θεῦ ἡμῖν ἐξαγγέλλοντας, *Sanctos Prophetas Theolo[-] gos vocat, ut qui sermones Dei nobis annunciant:* idemque *in c. XIII p. 156.* Προφήτην Θεολόγον φησὶν, ἢ ὡς μύστην τῶν κρυφίων, ἢ ὡς Θεῦ λόγυ[ς] λέγοντα, *Prophetam Theologum appellat, vel ut Doctorem reru[m] occultarum, vel ut Dei sermones proferentem.* Demum ad huc aliter doctiss. Witsius *Miscellan. sacr. T. I. Lib. I. cap. 1. §.* *p. 2. seq.* נביא *Numinis amicum ac familiarem* interpretatu[r] ad quem Deus veniat, & qui familiariter cum Deo in preci[-] bus converſetur; autoritate cumprimis verborum, quibu[s] Abrahamum Deus ornat Gen. XX, 7. quibuscum Psaltis ora[-] culum confert Ps. CV, 14. 15. Dudum quidem ante Witsiu[m]

in eadem fuit ſententia El. Joh. Terſerus, qui *annotat. in Gen. XX, 7. p. 61.* Prophetam notare aſſerit, *qui Deo ſingulariter ſit dilectus*, ſenſumque loci reddit: *Mihi adeo charus eſt Abraham, ut ſi eum offendas, me ſimul offendas.* Verum nihil obſtat, quo minus in allegatis locis trita Prophetæ ſignificatio locum obtineat, cum & Abrahamum, & reliquum Patriarcharum chorum in Prophetarum ordine ac cenſu habendos eſſe, ex paulo poſt dicendis manifeſtum ſit futurum.

II.

Præterea vero, qui נָבִיא erat, idem רוֹאֶה quoque, & חוֹזֶה *Videns*, nonnunquam audiebat, perinde ut רָאָה & חזה *videre*, idem ſæpe valet ac prophetare Jeſ. XLII, 20. Thren. II, 14. Ezech. XIII, 9. 16. XXII, 28. & חזון/חִזָּיוֹן/ ac מַרְאֶה *viſio Prophetica* eſt Ezech. VII, 25. Jeſ. I, 1. XXII, 1. Dan. VIII, 16. 17. non eam tantum ob cauſam, quia Prophetæ Dominum aliquid prænunciantem, aut etiam imagines rerum futurarum videbant, Num. XXIV, 4. ſi non corporis oculo, certe illo mentis, multo, quam hic eſt, acutiore, quæ Ludov. Vivis eſt explicatio *Comm. ad Lib. XVII. de Civ. Dei cap. 1. Opp. Auguſtini T. V. f. 938.* Sed quia viſio quoque de quovis cognoſcendi modo paſſim in Scripturis uſurpatur Exod. X, 10. Jer. V, 12. Quanquam autem nonnihil diſcriminis inter hæc tria vocabula intercedere, ex 1. Chron. XXIX, 29. ſatis appareat, ubi res geſtæ Davidis ſcriptæ dicuntur *in verbis Samuelis* הָרוֹאֶה *Videntis, & in verbis Nathanis* הַנָּבִיא *Prophetæ, & in verbis Gadi* הַחֹזֶה *cernentis*; præterea quoque obſervare liceat, quod Samuel frequenter רוֹאֶה 1. Chron. IX, 22. XXVI, 28. & Gad חוֹזֶה 2. Sam. XXIV, 11. 1. Chron. XXI, 9. XXIX, 25. uterque porro *Propheta* dicatur, neque tamen ordine inverſo Samueli unquam elogium חוֹזֶה/ aut Gado titulus רוֹאֶה tribuatur, Nathan demum נָבִיא tantum audiat, quod ſane caſu, aut temere factum, nemo facile dixerit: ipſum tamen diſcrepantiæ

momentum, in quo verſetur cardine, doctiſſimi virorum ſe ignorare fatentur. Incerta enim perquam differentiæ ratio eſt, quam Scipio Sgambatus *lib. II. Archivorum Vet. Teſt. Tit. XXII. p.293.* tradit talem: *Propheta & Videns differunt. Videns enim* חוזה *eſt, qui res futuras mente aſſequitur: Propheta* נביא *eſt, qui eas ore profert ac pronunciat. Rurſum videntur differre* חוזה & רואה, *quorum utrumque vertitur Latine Videns. Sed Roéh dicitur de Samuele, & ſignificat clare, & in aperta luce aliquid conſpicari: Choséh, quod de Gaddo dicitur, aliquid obſcurius ſignificat.* Quæ plane ſibi non conſtant. Nam nec ore proferre ac pronunciare quicquam poſſet Propheta, niſi mente prius id percepiſſet, adeoque חוזה fuiſſet: nec Videns res futuras in ſui, ſed aliorum potius gratiam mente aſſequebatur, adeoque proloqui perceptas neceſſe habebat. Rurſus obſcure perquam videbat Samuel 1. Sam. XVI, 6. ſqq. contra vero ea, longe clarius Gad, 2. Sam. XXIV, 11. ſqq. Vero itaque paulo videtur ſimilius, חוזה proprie eſſe ἐκστατικόν, qui oculos mentis in rem, contemplationi ſuæ oblatam, alte defigit, & vultu immoto in ejus intuitu hæret, 2. Reg. VI, 11. quæ omnis vis non eſt in voce ראה, quippe quæ ſimpliciter notat, qualemcunque rei ſpeciem in phantaſia deſcriptam videre, non in ecſtaſi tantum, ſed & per quietem, Gen. XXXI, 10. XLI, 22. vocisque adeo ראה latiorem eſſe ſignificationem, quæ Vitringæ erudita eſt hariolatio *in typo doctrinæ Propheticæ cap. 1. §. 3. p. 4.* quod tamen diſcrimen in Scriptura ubivis ſervari, ipſe Vir clariſſ. pro certo affirmare non audet. Vir Hebraice doctiſſimus Joh. Coccejus in *Lexico Hebr. in voc.* חוזה ita exiſtimat: Samuelem vocari ראה *Videntem*, a voce divina, quam accepit veluti coram ex ore Dei: *Prophetas* dici eos, qui publice locuti ſunt: חוזים dici omnes, qui revelationes haberent, ſive in ordinario ſtudio ac meditatione, per Scripturam, ſive per extraordinariam inſpirationem. Iſta

vero

vero, quæ assignat, discrepantiæ momenta, quoniam passim mutuo convertuntur, ita ut Prophetæ quoque vocem divinam veluti coram ex ore Dei perciperent, & חוזים pariter atque ראים divinæ voluntatis interpretes essent, qui publice loquerentur, vix videtur solidam Coccejus assertionis suæ rationem allegare potuisse. Ut taceam, unum nonnunquam de altero, נביא de חוזה prædicari 2. Reg. XVII, 13. Unde satis, opinor, constat, esse quidem aliquod inter hæc vocabula æque ac munia discrimen, quod tamen, quale sit, hodie ignoretur. Præter hos alii quoque honorum sunt tituli, quibus æque ac Sacerdotes, cæterique Numini, ejusque cultui dicati, in Scriptura mactantur Prophetæ, ut cum איש האלהים *Viri Dei*, a Deo toti pendentes, ac in & cum Deo viventes, 1. Sam. IX, 8. 1. Reg. XIII, 1. 1. Tim VI, 11. 2. Petr. I, 21. איש הרוח *Viri spirituales*, a sacro Spiritu afflati ac moti, Hos. IX, 7. מטיפים *stillatores*, Mich. II, 6. 11. Am. VII, 16. quorum sermo fœcundi roris ad instar (Deut. XXXII, 2.) stillat: צפים *speculatores* Es. LII, 8. Hos. IX, 8. qui velut in specula constituti excubias agunt: שמרים *custodes* Es. LXII, 6. qui, de muro longe prospicientes, appropinquantis periculi commonefaciunt civitatem Dei: מלאכים *nuncii* Dei ad homines Hagg. I, 13. & communi nomine עבדי האלהים *servi Dei* 2. Reg. XXI, 9. Ezech. XXXVIII, 17. Dan. IX, 10. Jer. VII, 25. salutantur, in quibus exponendis, cum Commentarii in citata loca otium fecerint, nobis nunc prolixioribus esse non licet. Unum est, quod addo, προφήτȣ encomium, Matth. X, 41. XI, 9. 13. Act. XI, 28. XXI, 9. 1. Cor. XIV, 3. & alibi passim, tum de priscis illis antiquioris Fœderis vatibus, tum de Doctoribus ecclesiæ Christi primitivæ, tum & usurpatum legi de iis, qui Deo afflante futura prædicebant. Cujus originem juxta ac significationem propriam edisserens Eusebius, *Demonstr. Evang. lib. V. f. 209.* videri sibi inquit ἐυ ηγὶ ἀληθῶς

 Πϱοφή-

Προφήτας ἀποκαλεῖν παρὰ τὸ προφαίνειν καὶ προφωτίζειν ἐν αὐτοῖς τὸ Θεῖον πνεῦμα, μὴ μόνον τὰ παρόντα, ἀλλὰ καὶ τῶν μελλόντων ἀληθῆ καὶ ἀκριβῆ γνῶσιν, *bene recteque Prophetas vocare a verbo* προφαίνω *portendo, significo: quod divinus in eis Spiritus ante ostendere, & lumine suo anticipare, non præsentium modo, verum etiam futurorum veram certamque cognitionem consueverit.* Sed rectius a πρόφημι aliis derivatur, quod prædicando futura indicant, quo Isidori Hispalensis facit explicatio, qui *lib. VII. Origin.* seu *Etymologiar. cap. VIII. f. 60. quos gentiles*, inquit, *Vates appellant, hos nostri Prophetas vocant, quasi Præfatores, quia porro fantur, & de futuris vera prædicunt.* Quæ angustior paulo, & etymologica vocis significatio, usu Scripturæ & ecclesiæ, ad universum illum functionum sacrarum, quas supra allegavimus, ambitum extenditur, ut æque late pateat, quam Hebræorum נביאים & quosvis Scripturæ interpretes, 1. Cor. XIV, 29. 32. 37. ecclesiæque Doctorum ordinem certum Eph. IV, 11. complectatur.

III.

Ceterum cum unaquæque fere gens suos olim haberet vates, quos μάντεις Græci, a furore, quo perciti oracula fundebant, & χρησμῳδοὺς, aut χρησμολόγους, ab oraculorum eloquio vel cantu appellabant, eaque Cicerone teste *lib. I. de divinat.* ab init. *vetus sit opinio, jam usque ab heroicis ducta temporibus, eaque & populi Romani, & omnium gentium firmata consensu, versari quandam inter homines divinationem, quam Græci* μαντικὴν *appellant, id est, præsensionem & scientiam rerum futurarum:* factum hinc est, ut Prophetæ notio vel *improprie* nonnunquam adhiberetur, ad Pseudo-Prophetas juxta ac gentilium designandos vates, ut ex 1. Reg. XVIII, 22. Jer. XXIII, 11. 13. 14. 15. 21. Hos. IX, 7. 8. Mich. III, 11. Zeph. III, 4. Zach. XIII, 2. apparet, quo sensu Paulus etiam Epimenidem Poëtam Tit. I, 12. Prophetam dicit, ex Cretensium sane

opinio

opinione, qui divinationis eum peritissimum censebant; vel *proprie* pro iis, qui ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν, acti & impulsi a Spiritu Sancto, locuti sunt, 2. Pet. I, 21. Veri ergo nominis Prophetæ, *homines* erant, *divina luce collustrati, res vel sublimitate sua abstrusas, vel eventu adhuc futuras, & naturali sagacitati impervestigabiles atque incognitas, ex divina revelatione percipientes, & vel per signa, vel per verba cum aliis, quorum eas scire intererat, communicantes ad gloriam Numinis, & ecclesiæ ædificationem, vel ad informationem nonnunquam privatorum.* Nec enim quilibet, divina gaudens revelatione, Propheta statim dici meretur, sed requirebatur amplius, ut interpretem divinæ voluntatis & revelationis ad homines ageret, aut agitante incalescens Numine, hymnos pangendo vel canendo, alios instrueret aut excitaret. Abimelechum quippe, Labanem, Pharaonem, Nebucadnezarem, alios, divinitus in somniis monitos, extraordinariis accepimus gavisos fuisse revelationibus, nuspiam tamen in Prophetarum censum relatos. Quo respiciens Augustinus *quæst. 17. in Exod. T. IV. Opp. p. 130. nihil aliud esse Prophetam Dei*, inquit, *nisi enunciatorem verborum Dei hominibus, qui Deum vel non possunt, vel non merentur audire.* Neque rursus omnes, qui de rebus divinis populum instruebant, Prophetæ cluebant, cum ab horum ordine Sacerdotes, Jer. II, 8. & passim alias, distingui videamus, quorum tamen haud postremæ in eo sitæ erant partes, ut legem interpretando, cultus rationem docendo, ac exemplo præeundo, quin & per Urim & Thummim de dubio futurorum eventu responsa dando, voluntatem Dei populo denunciarent: sed peculiari præterea opus erat motu divino, & interna luce, quæ supra vulgarem naturæ captum saperent, agerentve. Utrumque complexus Philo *lib. de præmiis & pœnis, Opp. p. 711. E.* concise nec incommode Prophetam definit: ἑρμηνεὺς ἐστὶν ὁ προφήτης, ἔνδοθεν

ὑπηχοῦ-

ὑπηχῶντος τὰ λεκτέα τοῦ Θεοῦ, *Propheta interpres Dei est, dictantis intus oracula.*

IV.

Porro quidem satis constat de eo, nullum absque Numine, ejusque singulari prorsus & extraordinario influxu Prophetam evasisse. Ipse sibi Deus hoc αὔχημα vendicat, quod e reconditæ sapientiæ suæ penu instruat servos suos, Jes. XLIII, 12. Amos. III, 7. Idque, ut Theologi loquuntur, opus ad extra, omnes Sanctæ Triados personæ invicem habent commune, sic ut Patri tribuatur Os. I, 2. coll. 7. Ebr. I, 1. 2. Apoc. I, 1. Filio Zach. I, 9. & Spiritui S. 2. Sam. XXIII, 2. Act. I, 16. 1. Petr. I, 11. 2. Petr. I, 21. Ut adeo frustra sint, qui vel diabolo accepta quædam ferunt vaticinia, vel ad naturalem referunt ἀγχοινίαν, solertiam aut sagacitatem. Dæmone quidem plenos gentilium augures, aruspices, & Pseudo-Prophetas facile largior futura prænunciasse, quibus eventus satis nonnunquam exacte responderit, quod de Saule Pythonissam consulente ex 1. Sam. XXVIII, 19. de Crœso, Juliano, aliisque ex Theodoreti *de Græcar. affection. curat. serm. X. de Oraculis, Tom. IV. Opp. p. 628. sq.* constat, nec ipse Deus abnuit Deut. XIII, 1 sqq. Idque quo pacto eveniat, scite & breviter explicat b. Joh. Meisnerus *de Prophet. Sect. II §. 7. p. 30.* cujus huc transferre verba e re præsenti est. Ita autem habent: *Quod aliquando vera prædicit diabolus, ea vel conjectando, vel pro incredibili sagacitate, quæ sine dubio omnium hominum ingenium excedit, agentia naturalia passivis aptando, aut unam rem pro altera insensibiliter substituendo, assecutus est; vel maxima celeritate, qua pollet, quæ revera jam in occidente existunt, ipse autem vel audivit, vel aliter comperta habet, sed propter locorum distantiam ab hominibus sciri non possunt, in oriente pronunciat: vel ex Dei revelatione, cum opera ejus in puniendis hominibus utitur, addidicit; vel denique tale quid*

est,

est, quod permissu Dei ipse facturus alias erat, ut de morbis, fame, peste, facile intelligitur. Certo tamen singula praenosse futura, suisque ea mystis suggerere posse praedicenda, Deo uni ac vero adeo est proprium, ut hoc velut κριτηρίῳ a gentilium Deastris se distinguat, Es. XLI, 22 sq. XLIV, 7. *Idoneum* enim, inquit Tertullianus *Apologet. c. XX. T. I. Opp. p. 20. testimonium divinitatis est veritas divinationum:* aeque ut Chrysostomus *Homil. LXXVII. in Job. T. II. Opp. in N. T. p. 497.* graviter pronunciat: Θεῦ τῦτο μάλιστα ἴδιον, τὸ λέγειν τὰ μέλλοντα. *Deo maxime proprium est, futura praedicere:* & rursus *Homil. XVII. in Job.* τῦτο γὰρ μάλιστα ἔργον Θεῦ, ὅπερ ὐδὲ μιμήσασθαι δύναιντ' ἂν οἱ δαίμονες, κἂν σφόδρα φιλονεικῶσι, *hoc enim vel maxime Dei opus est, quod neque daemones imitari possunt, quamvis majorem in modum nitantur.* Hinc est, ut non tantum plane falsa interdum praedicerent vates a malo genio agitati, ut 1. Reg. XXII, 12. 13. sed etiam tam perplexa utplurimum & intricata, tam ad deceptionem & illusionem sciscitantium studiose composita, ut in affirmantem aequo jure traxeris oraculum, quam negantem partem. Ipse ex hac ratione Apollo λοξίας dictus, & Cicero fraudibus vatum ac imposturis in eam adductus est sententiam, ut omnia potius Ethnicorum oracula ridere, naeniisque ac fabulis accensere mallet, quam obscuritatis aut mendacii labem supremo Numini adspergere. Hinc *lib. 2. de divinat.* diserte fatetur, *oracula Apollinis, quibus Chrysippus totum volumen impleverat, partim falsa esse, partim casu vera, ut in omni oratione fit saepissime, partim flexiloqua & obscura, ut interpres egeret interprete, & sors ipsa referenda esset ad sortes, partim ambigua, & quae ad Dialecticum essent referenda.* Nec imposturas illas fraudesque oraculorum concoquere potuit Lucianus, irrisor licet religionis Christianae, quin in *Dialogo Junonis & Latonae Tom. II. Opp. p. 12.* in hanc erumperet confessionem: ὁ δὲ Ἀπόλλων προσποιεῖται

μὲν πάντα εἰδέναι, καὶ μαντεύεσθαι. καὶ καταστησάμενος ἐργαστήρια τῆς μαντικῆς, τὸ μὲν ἐν Δελφοῖς, τὸ δὲ ἐν Κλάρῳ, καὶ ἐν Διδύμοις, ἐξαπατᾷ τοὺς χρωμένους αὐτῷ, λοξὰ καὶ ἐπαμφοτερίζοντα πρὸς ἑκάτερον τῆς ἐρωτήσεως ἀποκρινόμενος, ὡς ἀκίνδυνον εἶναι τὸ σφάλμα. Καὶ πλουτεῖ μὲν ἀπὸ τοῦ τοιούτου κ. τ. λ. *Apollo simulat quidem omnia scire sese, & vaticinari: & erectis vaticinandi tabernis, hic in Delphis, illic in Claro, & Didymis, decipit consulentes se, obliqua, & in utramque partem quæstionis propositæ inclinantia respondendo, ne videlicet erroris possit damnari: atque ita ex hoc quæstum facit, & ditescit*, idque prudentiores non latere addit. Eadem quoque ridet in *dial. Menippi, Amphilochi & Troph. cit. Tom. p. 56.* in *Jove Tragœdo T. III. p. 443.* in *Jove confutato T. IV. p. 257. sqq.* & passim alias. Ut jam silentio transmittam, quæ doctissimus Huetius in hanc rem collegit *Demonstr. Evang. Propos. IX. cap. 171. §. 10. p. 1183.* Ut adeo vera ac sancta prophetia, a turbido isthoc & impuro dimanasse unquam fonte, credenda non sit.

V.

Sed nec hominum sagacitati naturali, ingenio aut labori tribuendum quicquam est in prophetiæ acquirendo dono. Pro suo enim beneplacito, hoc æque ac cetera χαρίσματα Spiritus ille Dei, omnium fons ac autor, distribuit unicuique καθὼς βούλεται, *sicuti vult*, 1. Cor. XII, 11. Sunt equidem, qui corporis compositionem vel temperamentum, tum & industriam hominum multum huc facere existimant, quemadmodum usu venire videmus, viros prudentes multoque rerum usu subactos, ingenii sui acie, & præsentium cum pristinis temporibus collatione, multa sæpe prævidere, haud aliis facile obvia perspectu. *Callidus prospicit malum, & occultat se; simplices autem transeunt, & mulctantur*, Prov. XXII, 3. XXVII, 12. Talem se vatem jactat Cicero *lib. VI. Epist. 6. ad Cæcinam: Si te ratio quædam Etruscæ disciplinæ*, inquiens,

quam

quam a Patre, nobilissimo atque optimo viro acceperas, non fefellit: ne nos quidem nostra divinatio fallit: quam cum sapientissimorum virorum monumentis atque praeceptis, plurimoque, ut scis, doctrinae studio, tum magno etiam usu tractandae reipublicae, magnaque nostrorum temporum varietate consecuti sumus. Cui quidem divinationi hoc plus confidimus, quod ea nos nihil in tam obscuris rebus, tamque perturbatis, unquam omnino fefellit. Dicerem, quae antea futura dixissem, ni vererer, ne ex eventis fingere viderer. Sed dispar longe ratio est conjecturarum de futuro rerum civilium naturaliumque eventu, quae cum hæsitatione multa, metu erroris, & ignorantia circumstantiarum, causarumque sunt conjunctæ; & divinorum vaticiniorum, quarum illæ quidem in hominis esse possunt potestate, quanquam non absque divino munere, hæc diserte denegantur, cum *nulla Prophetia libitu hominis allata* divo Petro asseratur, *sed actos a Spiritu S. locutos esse sanctos Dei homines*, 2. Petr. I, 20. Nec enim hominum est, futura indubie prænosse, Coh. VIII, 6. VII, 1. X, 4. Prov. XXVII, 1. quod vel gentiles humana sorte superius agnoverunt; unde scitum illud Hesiodi:

> Μάντις δ' ὀυδέις ἐστιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
> Ὅστις ἂν εἰδείη Ζηνὸς νόον αἰγιόχοιο.

Vates nullus est inter homines terrae incolas, qui noverit mentem Jovis Ægiochi: & illud Anacreontis *Od. 42.*

> Πόθεν οἴδαμεν τὸ μέλλον;
> Ὁ βίος βροτοῖς ἄδηλος.

Unde cognoscimus futurum? Vita hominibus ignota est. Hinc Josephus Gen. XL, 8. XLI, 16. juxta ac Daniel c. II, 28 sqq. vaticinandi virtutem sibi denegantes, Deo soli in acceptis referunt; imo & aberrasse a vero deprehenditur Nathan, quando inconsulto Deo responsum dare præsumeret, 2. Sam. VII, 3. Illa vero argumenta, quibus Ammonius apud Plutarchum *lib. de oraculorum defectu*, & ampliori apparatu Petrus Petitus

de Sibyllis lib. 1. cap. 8. demonſtrare ſatagunt, non minus animis hominum vaticinandi poteſtatem eſſe innatam, quam vis memoriæ, qua præteritorum recordantur, fuſe & ſolide Witſius diſcuſſit *lib. I. Miſcellan. ſacr. cap. 8. toto p. 52.* quæ huc tranſcribere ſingula ſuperſedemus. Idem porro *cap. 9.* ex inſtituto ſub examen vocat, quæ Petitus ad hanc firmandam ſententiam affert, dum *c. l. cap. 10.* præſtantem mentis indolem ac ſublimitatem, qualis in Platone, Pythagora, Heraclito, Parmenide, Anaxagora, Ariſtotele conſpicua fuerit; *cap. 11.* temperamentum melancholicum, quod in Moſe fuiſſe tradit ac Helia; *cap. 13.* cœlum ipſum, ac ſiderum poſitum; *cap. 14.* ſubterranei quoque halitus hauſtum, mentem hominum ad vaticinandi facultatem diſponere ac præparare contendit; erudito quidem, ſed veritati haud usque quaque congruo ſermone. Sane enim, ut vel tribus, quod ajunt, verbis vanitatem aſſertorum oſtendam, non tam præſtantiſſima Deus elegiſſe ingenia, quam ſimplicia minusque obluctantia, 1. Cor. I, 19 ſqq. Matth. XI, 25. perhibetur. Temperamenti vero, ut nulla ad Prophetiam proportio eſt & habitudo, ſic nec diſpoſitio, cum illa a libera Spiritus S. pendeat diſpenſatione, quæ nulla naturalium cauſarum ſtructura coarctanda eſt, 1. Cor. XII, 11. Siderum porro vis in liberas & contingentes hominum actiones pariter ac mentes, exploſa dudum eſt, quin & a Deo ipſo proſcripta, Jeſ. XLVII, 13. Quod & de ſubterranei halitus hauſtu intelligendum, quod inauditum inter Chriſtianos commentum, ex impoſturis ſacrificulorum gentilium, qui ex antris & cavernis reſponſa dabant, ortum traxit; quas ipſorum fraudes Antonius van Dalen diſſertatione gemina *de oraculis Ethnicorum*, ex domeſticis ipſorum teſtimoniis, in apricum poſuit & detexit. Ulterius progreſſus Spinoſa, poſtquam *Tract. Theologico-Polit. cap. 2.* omnem Prophetiæ perceptionem ex imaginatione ſubjecti, ejus vero certitudi-

titudinem ex signis, oraculo junctis, suspendisset, temperamentum tam arcte cum Prophetia connectit, ut pro diversitate ejus variasse quoque credat vaticinandi facultatem. *Ipsa,* inquit p. 18. *revelatio variabat in unoquoque Propheta pro dispositione temperamenti corporis, imaginationis, & pro ratione opinionum, quas antea amplexus fuerat. Pro ratione enim temperamenti variabat hoc modo, nempe: Si Propheta erat hilaris, ei revelabantur victoriæ, pax, & quæ porro homines ad lætitiam movent. Tales enim similia sæpius imaginari solent: si contra tristis erat, bella, supplicia, & omnia mala ei revelabantur; & sic prout Propheta erat misericors, blandus, iracundus, severus &c. eatenus magis aptus erat ad has, quam ad illas revelationes.* Hæc post interjecta nonnulla ita probare satagit p. 19. *Primum constat ex illo casu Elisæ 2. Reg. III, 15. qui, ut Jerobeamo prophetaret, organum petiit, nec Dei mentem percipere potuit, nisi postquam Musica organi delectatus fuit, tum demum Jerobeamo cum sociis læta prædixit, quod antea contingere nequiit, quia Regi iratus erat; & qui in aliquem irati sunt, apti quidem sunt ad mala, non vero bona de iisdem imaginandum. Quod autem alii dicere volunt, Deum iratis & tristibus non revelari, ii quidem somniant: nam Deus Mosi in Pharaonem irato revelavit miseram illam primogenitorum stragem, Exod. XI, 8. idque nullo adhibito organo. Kaino etiam furenti Deus revelatus est. Ezechieli præ ira impatienti, miseriæ & contumacia Judæorum revelata fuit, Ezech. III, 14. & Jeremias mæstissimus, & magno vitæ tædio captus calamitates Judæorum prophetavit: adeo ut Josias eum consulere noluerit, sed fœminam ei contemporaneam, utpote quæ ex ingenio muliebri magis apta erat, ut ei Dei misericordia revelaretur, 2. Paral. XXXV. Michæas etiam nunquam Achabo aliquid boni, quod tamen alii veri Prophetæ fecerunt, ut patet ex 1. Reg. XX. sed tota ejus vita, mala prophetavit, 1. Reg. XXII, 7. & clarius in 2. Paral. XVIII, 7.*

Ex quibus tandem concludit: *Prophetæ itaque pro vario corporis temperamento magis ad has, quam ad illas revelationes erant apti.* Verum ut taceam, non tam temperamenti, quam affectuum, quos vocant, potius, & animi variam dispositionem, ex diversa rerum fatorumque, quibus fruitur, conditione ac facie oriundam, his exemplis urgeri; adeo præterea lubrica sunt omnia, & ruinoso superstructa fundamento, ut pari exemplorum, qua adstruuntur, copia convelli queant ac everti. Tristis profecto Bileam erat, & valde iratus non asinæ modo suæ, quam verberibus cædebat, verum etiam Israelitico populo, quem devovere cum nequiret, amplissimi spe lucri excidebat, neque tamen alia quam læta & benedictionis plena profari poterat, utcunque animum ad diras & maledicta disponere anniteretur, Num. XXII. XXIII. XXIV. Sic Jesaias præter acerbas comminationes, suavissimas quoque edidit promissiones. Jeremias ille mœstus, non captivitatem modo, sed & felicem ex Babylonia reditum, novique Fœderis cecinit c. XXXI. felicitatem. Morti vicinus Elisa, quem tunc temporis præ gaudio exultasse nemo facile dixerit, victoriam tamen adversus Syros Joaso Regi prædicit 2. Reg. XIII, 17. Et sæpius quoque videas, eadem vaticinia, tristi exorsa comminatione, mox lætissimas subnectere rerum vices, rursusque tandem in calamitatum quarundam denunciatione desinere; unde juxta Spinosæ mentem conficeres, temperamentum Prophetæ, qui talia edebat, tot vel una hora subiisse vices, quod absurdum. Quid? quod omnis veritas vaticiniorum hoc commento subruatur, cum de læto rerum eventu consultus Propheta, forte tunc tristis, non potuerit nisi tristia respondere, adeoque falsa proferre, quæ ipsissima tandem Spinosæ mens est, cum p. 16. 17. *certitudinem Propheticam non fuisse, nisi moralem*, contendit, & p. 21. concludit, *Prophetiam nunquam Prophetas doctiores reddidisse, sed*

eos

eos in ſuis præconceptis opinionibus reliquiſſe, ac propterea nos iis, circa res mere ſpeculativas minime teneri credere; & p. 28. pariter aſſerit, *nos Prophetis nihil aliud teneri credere, præter id, quod finis & ſubſtantia eſt revelationis, in reliquis, prout unicuique libet, liberum eſſe credere:* quo ipſo Spiritui Sancto, per os Prophetarum loquenti, fidem habere prohibet, quod quam prope a blaſphemia abſit, nemo non videt. Confer cum his commentis Joh. XIV, 17. XVI, 13.

VI.

Soli ergo Deo cum prophetica facultas accepta ſit ferenda, inquirendum ulterius eſt, quo medio ac modo hominibus eam largiatur? Per revelationem certe, cujus tamen mira in ſacris literis varietas deprehenditur. Ut enim alia *civilis* eſt, per ſortes, cujus exempla in Achane Joſ. VII, 14. in Saule & Jonathane 1. Sam XIV, 42. in Jona Jon. I, 7. in Apoſtolis Act. I, 26. regulam vero Prov. XVI, 33. conſpicimus; alia *ſacerdotalis*, per Urim & Thummim, cujus eruditam & copioſam ſtruxit hiſtoriam Buxtorffius F. *Exercit. III. p. 267.* & recentiſſime Henricus Hülſius *Comment. in Iſraelis priſci prærogativas ac bona ſub Vet. Teſt. Diſſert. V. p. 210.* alia demum *Prophetica:* ita hanc poſtremam rurſus haud unam obſervare licet. Diſerte Paulus, Deum πολυμερῶς, non ſimul & ſemel, ſed multis vicibus & partibus, καὶ πολυτρόπως, diverſimode, nunc nude & absque Symbolorum involucris, nunc veluti veſte adoperta, & ſub vario figurarum tegmine, Patribus locutum fuiſſe per Prophetas, perhibet Hebr. I, 1. Et ipſe quidem Deus, Num. XII, 6. 7. 8. præcipuos revelationum ſuarum modos recenſens, Prophetis ſeſe appariturum teſtatur במראה *per viſionem*, בחלום *per ſomnium*, בחידות *in ænigmate*, בתמונת *per figuram*, & פה אל פה *per allocutionem divinam.* Mirum in modum numerum iſtum augent Rabbini, quorum interpres Maimonides, e gentis ſuæ diſciplina,

in

in More Nevoch. P. II. cap. 45. p. 316 sqq. undecim recenset gradus Prophetiæ, quorum 1) illapsus sit Spiritus Heroici, quando is induisse Judices & Heroës legitur, & ad præclara patrandum facinora impulisse: 2) illa Spiritus S. facultas, quæ Prophetia adhuc inferior, רוח הקדש καθ' ἐξοχὴν dicitur, cujus impulsu vigilantes & integro gaudentes sensuum ministerio, Psalmos cecinerint, aut salutaria morum præcepta, vel alia, ad ecclesiæ vel Politiæ spectantia commodum, edisseruerint; quaque cumprimis Hagiographa V. T. scripta, כתובים dicta, edita & exarata sint: 3) verbum Domini, quando Propheta videt parabolam in somnio, ejusque declarationem, quales sint parabolæ Zachariæ: 4) somnium propheticum, in quo vocem Propheta audit, sed loquentem non cernit: 5) cum vir aliquis in somnio cum Propheta loquitur, ut Ezech. XL, 4. 6. 6) cum angelus ipsi in somnio loquitur, ut Gen. XXXI, 1. 7) cum Propheta Deum se conspicere in somnio sibi videtur, ut Jes. VI, 1. 1. Reg. XXII, 19. 8) cum interdiu visio obtingit Prophetica, velut Abrahamo, Gen. XV. 9) quando audit in ejusmodi visione vocem sibi loquentem, ut ibi v. 4. 10) quando virum secum loquentem in visione Prophetica conspicit vigilans, ut Abraham in quercubus Mamre, Ge. XVIII. & Josua ad Jerichuntem c. V, 13. 11) quando angelum secum loquentem in visione animadvertit, velut Abraham in ligatione Isaaci. Mosis vero Prophetiæ gradum his omnibus multis parasangis faciunt superiorem, eo quod reliqui omnes Prophetæ mediante angelo sermonem audierint, Moses vero ore ad os, sive coram Deo collocutus feratur, quodque ceteri non nisi per facultatem imaginatricem, quam phantasiam puto, Prophetiam perceperint, solus vero Moses ex propitiatorio inter Cherubinos, absque facultatis imaginatricis ministerio, Deum loquentem audierit, quæ ipsa rursus Maimonidis verba sunt *p. 321.* Verum quam inconcinna & hiulca isthæc

ſthæc ſit recenſio, quam inſufficiens rurſus, & citra neceſſitatem tamen copioſa, primo ſtatim intuitu apparet; quam eapropter R. Joſeph Albo ad quaternarium graduum numerum revocat, cujus ſententiam Hottingerus exponit *Theſaur. Phil. Lib. II. cap. 3. Sect. 4. p. 566.* & Henr. Hülſius l. ſupra cit. *Diff. III. §. 3. p. 75 ſq.* Aliam ingreſſi viam Chriſtiani Doctores, Prophetiæ, ſeu viſionis, ut vocat Auguſtinus, tres conſtituunt ſpecies: *corporalem*, quæ per ſenſibilem aliquam repræſentationem contingit, & per imagines ſenſibus corporeis objectas, ex quibus conceptus mentis naſcitur, ideoque vigilantibus tantum exhibetur: *imaginariam*, cum ſenſui interno vel phantaſiæ repræſentatur aliquid, quod alioqui homo non erat apprehenſurus, vel novas ſpecies phantaſiæ imprimendo, vel præexiſtentes immutando, novoque lumine colluſtrando: & *intellectualem* tandem, quæ non e ſenſu aut imaginatione oritur, ſed immediate a lumine intelluctui affuſo proficiſcitur, quatenus ſpecies intellectuales vel prorſus novæ, vel præexiſtentes quidem, ſed elevatæ tamen, ac ſupernaturali lumine colluſtratæ, intellectui noſtro repræſentantur. Hanc Prophetiæ diſtributionem paſſim amplexantes Patres atque Scholaſtici Doctores, Iſidorus *lib. VII. Originum cap. 8. p. 61.* Thomas *Part. I. qu. LXVIII. Art. 4.* Alphonſus Toſtatus *qu. XI. ſuper lib. 1. Reg. cap. IX.* uberrime explicant, quos inter Auguſtinum lege *lib. XII. de Geneſi ad literam cap. XXIV. T. III. Opp. p. 696 ſq.* & e noſtratibus b. Joh. Meiſnerum *de Prophet. Sect. II §. 17-27. p. 38 ſqq.* Aliter rurſus doctiſſimus Witſius revelationem Propheticam *aliam* dicit immediatam, quæ ita a Deo proficiſcitur, nulla ut creata perſona interveniat; eamque iterum vel ſimplicem, ſolo interno Spiritus inſtinctu peractam, vel ſymbolicam, accedentibus quibusdam Symbolis inſignitam: *aliam* mediatam, quæ intervenientibus angelis ad homines delata ſit; in quibus exponendis *Lib. I. Miſcell. cap. 3-6. p. 16-41.* prolixe

C ac

ac erudite verſatur. Demum celeberr. Vitringa *Typi Doctr. Prophet. c. II. §. 3. p. 10.* omnem revelationem divinam Prophetis factam tradit vel interne, absque ſenſoriorum externorum adminiculo, in imaginatione; vel externe, per vocem aut figuras, ſenſibus externis vere exhibitas. Sub imaginatione vero intelligi quoque vult affectum vehementiorem, cum imaginatione conjunctum.

VII.

Nos uti ſuo quemque ſenſu facile ſinimus abundare, ita miſſis aliorum diſtinctionibus, divinæ revelationum Propheticarum recenſioni, Num. XII. traditæ, inhæremus. Primus itaque modus eſt במראה *per viſionem*, cum vigilantium Prophetarum ſive oculis corporis, ſive aciei mentis, certæ proponebantur imagines aut figuræ, divinæ voluntatis, reique manifeſtandæ indices; ut cum rubum ardentem Moſes Exod. III. oculis ſuis, Ezechiel vero idololatriam Hieroſolymitanam c. VIII. mentis acie conſpiceret. Nec refert, an interdiu hæ viſiones obtingerent, qualis Petro circa horam ſextam Act. X, 9. uſu veniebat; an de nocte, qua Zacharias virum equo ruſo vectum, & inter myrteta ſtantem vidit, c. I, 8. 18. modo ſomnus abeſſet. Secundus בחלום *per ſomnium*, quando dormientes oracula ſibi dicta percipiebant mente, vel figuras, rerumque imagines, divinitus phantaſiæ immiſſas, per inſomnia conſpicabantur; qualia Joſephi Gen. XXXVII, 7 ſqq. Abrahami c. XV, 12 ſqq. Salomonis in Gibeone 1. Reg. III, 5. Danielis de quatuor animantibus aſcendentibus e mari Dan. VII, 1 ſqq. Quæ tamen infidelibus quoque, & extra eccleſiæ gremium conſtitutis, velut proceribus Ægypti in carcere Gen. XL. Pharaoni c. XLI. Nebucadnezari Dan. II. immiſſa, Prophetas non ſtatim reddebant, cum non tam ſomnians, quam ſomnii interpretationem callens, vates habeatur. Non enim Pharao, ſed Joſephus, nec Nebucadnezar, ſed Daniel prophe-

tiæ

tiæ dono gaudebat. Tertius est בחידות *in ænigmate*, quando aliud repræsentatur, quam quod intelligendum sit, ut erat, cum librum Ezechiel comederet c. III, 1. cum uni lateri incumbere trecentos nonaginta dies, nec non panem, cum excrementis bubulis coctum, comedere juberetur c. IV, 5. 15. Quo spectat Jeremiæ olla fervens & virga vigilans c. I, 11. 12. Amosi canistrum fructuum æstivorum c. VIII, 2. & universa fere Apocalypsis Johannis τȣ̃ Θεολόγȣ. Adeoque partim visiones emblematicæ huc pertinent, aliud offerentes, quam quod innuunt; partim locutiones acutæ, & vel ob rei significatæ insolentiam, vel ob mysterium literæ involutum abstrusæ & obscuræ, Ezech. XVII. partim actiones symbolicæ Prophetis divinitus demandatæ, ut cum nudus incedere Jesaias c. XX, 2. vel jugum primo ligneum, postea ferreum de collo suspendere & gestare Jeremias juberetur c. XXVII, 2. XXVIII, 13. partim ὀνοματοθεσία mysteriosa, ut Jes. VII, 3. VIII, 1. 3. Hos. I, 4. 6. Quartus modus est בתמנה *per figuram*, qualis alias quidem Deut. IV, 15. de Deo negatur, hic autem asseritur, nec eam ideam, cum rerum imagines intuemur, ut explicatur ap. Glassium *Philol. S. lib. I. Tr. IV. Sect. I. can. 1. p. 221.* qua sane ratione cum primo visionum genere coincideret; quam speciem aliquam ac μορφὴν Dei, visibili corpore ac schemate induti, notat, quem oculis cernebant, loquentemque audiebant; quemadmodum LXX. Senatores in montem Sina una cum Mose, Aarone, Nadab & Abihu admissi, gloriam Domini, h. e. speciem Domini gloriosam, viderunt, Deo ipsorum oculos manu non continente, Exod. XXIV, 9-11. Quo referri forte possent omnes istæ Domini apparitiones, qua Abrahamus hospitem peregre adventantem Gen. XVIII. Jacobus colluctatorem suum c. XXXII. Josua ducem exercitus Domini c. V. Manoah cum uxore virum Dei mirabiliter facientem Jud. XIII. conspexerunt, nisi quis eas ad primi generis visio-

nem pertinere malit; hic vero ſplendidam admodum & auguſtam, & humana ſorte longe excellentiorem intelligi cupiat Dei ſpeciem, quæ divinam præſentiam ſtatim inſinuet, inſolitamque videntibus injiciat venerationem ac metum. Ultimus demum, isque Moſi tantum proprius, eſt פה אל פה *ore ad os*, ſive per familiariſſimum colloquium divinum, quod Moſes cum Domino *de facie ad faciem*, absque alio internuncio & medio, *de ore ad os*, interrogando & reſpondendo, explicando & replicando, diſertis verbis agitabat, quemadmodum amicus amicum alloquitur, libera nimirum παῤῥησίᾳ intimique commercii familiaritate, ut non attonitus exhorreſceret Moſes, animoque & corpore concideret, quod Abrahamo ac Danieli eveniſſe, Gen. XV, 12. Dan. X, 8. legimus. De qua Moſis prærogativa confer Exod. XXXIII, 11. Deuter. XXXIV, 10. *Hujus viri hæc fuit prærogativa*, appoſite ad ſententiam noſtram inquit clar. Vitringa *Typo Doctr. Prophet. cap. 2. §. 9. p. 14. ut in dubiis caſibus Deum conſulturus, oratione converſa ad Symbolum divinæ præſentiæ (ignem, nubi incluſum) quod ſuper tentorium aut arcam reſidebat, reſponſum ad interrogata ferret voce humanæ ſimili, familiari, communi, quali vir cum viro, amicus cum amico, ſermones cædere ſolet, & in colloquiis amicæ conſuetudinis uti. Exemplum cape ex Num. VII, 89. Cum Moſes ingrederetur tabernaculum, ut loqueretur cum Jehova, audiebat vocem ſe alloquentem e ſpatio, quod eſt ſupra operculum arcæ teſtimonii, inter duos Cherubim.* Addunt adhuc pro more ſuo nonnulla Rabbini, dum quinque ἀυχήμασι Moſen reliquos antecelluiſſe Prophetas cenſent, quod, cum 1) reliqui omnes in ſomnio vel viſione prophetias acceperint, Moſes ex adverſo vigilans viderit & ſtans: 2) cum ceteri interventu angeli prophetarint, hic immediato Dei alloquio gaviſus ſit: 3) cum reliqui exhorreſcerent & liqueſcerent veluti, Moſi nihil tale evenerit: 4) cum ceteri non quolibet

tempore

tempore vaticinarentur, hic omni, quocunque lubuerit, tempore facultate prophetica polluerit; 5) cum ceteri per decem (juxta *Vajikra Rabba Sect. I.* in *Thorath Cohanim* vero habetur per septem) אספקלריות specula viderent, Moses tantum per unum, & cum omnes per speculum maculatum & impurum cernerent, Moses viderit per speculum nitidum; quæ ex Maimonidis *de fundament. Legis cap. 7. §. 6 sqq.* fusius recenset Hottinger. *Thes. Phil. Lib. II. cap. 3. Sect. IV. p. 568 sq.* Ceterum observare adhuc licet, quod nec Abarbenel intactum reliquit, מַרְאָה fœmin. reliquis Prophetis Num XII, 7. concedi, Mosi denegari, rursus vero מַרְאֶה mascul. v. 8. Mosi assignari, secus autem ceteris Prophetis; unde hanc vocabulorum differentiam exsculpere nituntur Philologi, priori illo visionem specularem & symbolicam, posteriori aspectum clarum & distinctum notari, nec obscure doceri, omnem repræsentationem, Prophetis reliquis factam, subobscuram ac saltem velut imaginis in speculo exhibitæ apparitionem fuisse, non ad amussim omnia reddentem, cum ex adverso Mosis perspicua admodum & absque Symbolorum involucris, explicata fuerit visio, ut est ap. Jac. Gussetium *Comment. Lingv. Hebr. b. v. p. 766. y. z.:* quanquam alibi Scripturarum promiscuus vocum usus obtineat, & מַרְאֶה etiam de aliis Prophetis, v. g. de Ezechiele c. XI, 25. XLIII, 3. & Daniele c. X, 1. legatur. Commemoratis vero istis revelationum Propheticarum speciebus, duas adhuc accensere liceat, minime prætereundas, quarum *altera* est allocutio divina, assa voce prolata, nullam tamen loquentis speciem vel visionem sibi junctam habens, qualis Samueli obtigit, 1. Sam. III, 10. & Saulo in via Damascena, Act. IX, 4. quo celebris illa בת קול *filia vocis* referenda quoque erit, sive vox divina cœlitus delapsa, eaque gravis & sonora, instar tonitrui aures percutiens, & velut ex tonitru, post præcedentem aëris fragorem, nata; cujus

frequentior ſub templo ſecundo uſus celebratur, quamque licet in dubium vocet, & partim fabulis Judaicis, partim præſtigiis diabolicis accenſeat, quæ de illa traduntur a Judæis, Lightfoot *Hor. Talm. ad Matth. VIII, 17. T. II. Opp. p. 275 ſq.* non tamen omnino nullam fuiſſe, clariſſima Novi Fœderis teſtimonia Matth. III, 17. XVII, 5. Joh. XII, 28. 29. evincunt, uberiusque deſcribunt Hottinger. *Theſ. c. l. p. 509 ſqq.* Buxtorff. *in Lex. Talmud. p. 320 ſq.* & Bartoloccius *Biblioth. M. Rabbin. P. II. p. 110. a.* *Altera* θεοπνευςία ſive interior illa & immediata Spiritus Sancti illuminatio & ſuggeſtio eſt, ad exarandos libros Biblicos determinata, & ἀσφαλείας privilegio munita, quam copioſe ſyſtemata Theologorum paſſim deſcribunt. Demum adhuc *aliam* Doctores addunt, quæ angelorum miniſterio & annunciatione peracta ſit, quo pacto Danieli angelus adſtans viſionum interpretationem indicavit c. VII, 16 ſqq. VIII, 16 ſqq. IX, 16 ſqq. ut & Zachariæ Sacerdoti Johannis natalia, ac Mariæ virgini Meſſiæ ortum Gabriel prædixit Luc. I. conf. Apoc. XXII, 6. 16. Quam tamen annunciationem potius, quam prophetiam dixerim, quæ extraordinaria licet, vix tamen ampliorem in mente audientium virtutem exeruerit, quam ordinarium verbi divini præconium ab hominibus, ad id vocatis, peractum. Neque tamen inde ſequitur, quod Pſeudo-Dionyſius ille, Areopagita dictus, *de cœleſti Hierarch. cap. IV. T. I. Opp. p. 25 ſq.* evincere allaborat, omnem per angelos revelationem divinam hominibus obtigiſſe, indeque ipſos nomen hauſiſſe, διὰ τὸ πρώτως εἰς αὐτοὺς ἐγγίνεσθαι τὴν θεαρχικὴν ἔλλαμψιν, καὶ δι᾽ αὐτῶν εἰς ἡμᾶς διαπορθμεύεσθαι τὰς ὑπὲρ ἡμᾶς ἐκφαντορίας, *quia ipſi primum a Deo illuminantur, & per ipſos nobis noſtræ revelationes tranſmittuntur.* §. 2. Licet enim demus, quod in argumenti vicem affert, legem angelorum miniſterio ad homines delatam; tum quoque Patriarchas, aliosque ante & poſt latam legem Viros in Scriptura celebres,

celebres, per angelos monitos, & de rebus divinis, agendisve aut omittendis edoctos; demum etiam in revelando, de incarnatione Christi, mysterio, spectatam angelorum operam fuisse ac fidem: nondum tamen hinc conficitur, eos semper adhibitos, nec absque illorum interventu, Deum se hominibus patefecisse. Istud autem plane lubricum & anceps est, quod porro substernit, fundamentum §. 3. ὡς τῆς θεονομικῆς τάξεως ἐκεῖνο θεσμοθετούσης, τὸ διὰ τῶν πρώτων τὰ δεύτερα πρὸς τὸ Θεῖον ἀνάγεσθαι, *quasi id ordo divinæ legis sanxerit, ut per superiora, ista, quæ inferiora sunt, ad divinum Numen adducantur*, cum & inter ipsos angelos, superiores inferiorum duces & præceptores sint; quod velim demonstrasset, cum vel unum Mosis exemplum, a facie ad faciem cum Deo colloquentis, alia ut taceam, assertionem istam penitus infringat. Quod superest, ex tanta revelationum Propheticarum, quam edisseruimus, diversitate Joh. Tolandi satis convellitur temeritas, qua *in Origin. Judaic.* §. 19. *p.* 168. 172. omnem Judæorum Prophetiam ad visiones tantummodo & somnia reducere, cumque somniis nihil a Deo significari, nec somnia divina putanda esse contendat, ipsam Prophetiam aut e medio tollere, aut fluxam & ancipitem reddere male-sanus satagit, quo de ejus commento *in Programmate nostro Inaugur.* copiose diximus.

VIII.

Satis hinc opinor constare, ad Deum, ejusque revelationem omnis prophetiæ referendum esse ortum, nec adeo humanæ illam, vel angelicæ esse posse originis. Quod tamen eo dictum nolim, ut dispositiones omnes, animique ad recipiendum Spiritum fatidicum præparationes, penitus excludamus: in quibus institutionem Propheticam, Musicam, & ecstasin numeramus. Celebres enim inde a Samuelis tempore memorantur scholæ Prophetarum, quas Samuel 1. Sam X, 5.

XIX,

XIX, 19. Elias & Elisa 2. Reg. II, 3. 5. IV, 38. aliique, pietate, vaticinandi dono, & autoritate præstantes divinioris sapientiæ magistri moderabantur. Quæ Academiæ veluti erant omnis cœlestis doctrinæ ac sanctimoniæ, in quibus Deo sacra juventus in meditatione Scripturæ, in cognitione Dei, ejusque partim attributorum, partim beneficiorum celebratione, in precum, hymnorumque cumprimis pangendorum studio, & omni denique Theologiæ parte erudiebatur; tum &, in quibus pii Israelitæ, μοσχολατρείαν Jerobeamicam detestantes, cum Jerosolymas ad Sacra facienda tendere Regum tyrannide prohiberentur, Sabbathis & noviluniis confluebant, ut sincera divini cultus & mysteriorum doctrina a Prophetis imbuerentur. Quod ex 2. Reg. IV, 22 sq. haud difficulter colligunt eruditi; hinc & captivus populus ad Ezechielem conveniebat, Ez. XXXIII, 30 sqq. Jam vero ex seminariis istis tot Prophetarum agmina prodibant, ut Sauli recens uncto, ingens illorum obviam fieri turba 1. Sam. X, 10. ut Achabi tempore solus Obadias centum Prophetas abscondere, & sævienti subducere persecutioni 1. Reg. XVIII, 4. ut Hierichuntina schola quinquaginta subministrare posset lectos viros, ad inquirendum Eliam, terris exemtum 2. Reg. II, 16. ut Elisæ schola centum constaret viris c. IV, 43. Hi porro disciplinæ eorum alumni, filii Prophetarum vulgo salutabantur, appellationisque illius vestigia in Apostolica quoque filiorum compellatione, 1. Joh. I, 1. Gal. IV, 19. &c. deprehendere sibi interpretes videntur, quanquam longe prius, in utriusque populi captivitate isthæc gymnasia juxta ac exercitia prophetica expirasse haud abs re credantur. Ceterum, quam inepte Bellarminus ex his Prophetarum scholis Monachatum demonstrare satagat, Petr. Molinæus docuit *in Vate L. I. cap. 19. p. 34.*

IX. Alte-

IX.

Alteram diximus præparationem mentis, ad doni Prophetici recipiendum influxum, Musicam, tam assa voce, quam instrumentis & fidibus modulantem. Ubi quidem notamus, eam partim ad Prophetarum exercitia & munia, partim ad dispositiones pertinere eorum, qui huic se muneri destinabant. Partes enim haud exiguas Prophetiæ constituisse carminum sacrorum & compositionem, & modulatam recitationem, inspirante Dei Spiritu factam, ex iis apparet, quæ supra diximus §. 1. & exemplo Mirjam Prophetissæ Ex. XV, 20. Deboræ Jud. IV, 4. chori Prophetici 1. Sam. XIX, 30. Davidis cumprimis, & Assaphi, Hemanis atque Jedithunis 1. Chron. XXV, 1. passim confirmatur; adeo, ut gentilium quoque vates, verorum Prophetarum morem secuti, Poësin & Musicam manticæ suæ partem censerent. Sane, cum Porphyrius *in epistola ad Anebonem*, observasset, *ὡς τῶν ἐξισαμένων ἔνιοί τινες αὐλῶν ἀκούοντες ἢ κυμβάλων, ἢ τυμπάνων, ἤ τινος μέλους, ἐνθουσιῶσιν, ὡς οἵτε κορυβαντιζόμενοι, καὶ οἱ τῷ Σαβαζίῳ κάτοχοι, καὶ οἱ Μητρίζοντες, esse quosdam ex iis, qui ecstasin patiuntur, qui ita afficiuntur, quoties audiunt vel cymbala, vel tympana, vel certum quoddam melos; quales sunt Corybantes & Sabazii, & matris Cebeles mystæ;* in investigandis ejus rei causis, & demonstranda Musicæ, in qua divini aliquid ponit, ad afflatus divinos convenientia atque virtute, copiosus est Jamblichus *Sect. III. de mysteriis cap. 9. p. 69.* Ingens tamen hic differentia intercedit, inter eos, qui numine incalescentes & agitati, carmina sacra fundebant, de quorum Prophetica dignitate nemo facile dubitaverit; & eos, qui hymnos Propheticos, ab aliis compositos, ex arte saltem decantabant, quæ Musicorum erat functio in tabernaculo & templo, cultui publico vacantium, & ipso Davide autore, in certas distinctorum classes, quos omnes Prophetas dici, aut prophetasse legi, præter supra di-

ctos Assaphum, Hemanem, & Jedithunem, recte negat b.Seb. Schmidius *Comm. in 1. Sam. X. quæst. 8. n. 7. p. 304 sq.* Sed vero præterea carmina sacra, adhibita modulatione Musica, sæpe eum in finem recitabantur, ut concentu isto excitata mens Prophetæ, & velut reserata, instinctui divino facilius pateret; aut compositis, sedatisque affectibus tranquillior redderetur animus, & disponeretur, quo minus obicem Spiritui vatidico poneret. Illustre præbet ejus rei documentum Elisa, qui 2. Reg. III, 15. commotam ira mentem, fidicine accersito, sedabat prius, quam propheticum reciperet influxum. Turba illa Prophetarum, in quam Saulem incidisse 1. Sam. X. legimus, sine haud alio aulædum & citharistam ante se agebat, quam ut Musico concentu animis incalesceret, & ad cœlestes sanctasque raperetur meditationes. Hinc scite b. Seb. Schmidius loc. cit. *Colligo*, inquit, *Prophetas Doctores composuisse olim Hymnos & Psalmos, illosque præivisse canendo discipulis suis, qui filii Prophetarum dicebantur: super discipulos autem, cum audirent Doctorum cantum incipientem, venisse Spiritum Sanctum, ut cum Doctore canerent accurate & harmonice, quæ prius non audiverant & didicerant. Ita certe de Saule juxta verba textus 1. Sam. X, 10. dicendum est: & manifestius etiam vult, quod de eodem extat infra cap. XIX, 24 sqq.* Ubi tamen non tam concentui Musico, quam carminibus, quæ canebant, sacris, quibusque vel supremum celebrabant Numen, vel ardentissime invocabant, virtus ista, animum disponens, adscribenda videtur. Precum enim usum plane eximium, sacrisque vatibus, cum futura vel supernaturalia sibi revelari exoptarent, solemnem fuisse, ex Jer. XLII, 4. Dan. IX, 3. II, 18. & passim est manifestum. Hinc ipse Deus ad Jeremiam c. XXXIII, 3. *invoca me*, inquit, *& respondebo tibi, ac indicabo tibi magna & abstrusa, quæ non novisti.*

X. Tan-

X.

Tandem quoque aliquam, licet non omnibus communem, mentis præparationem, ad recipiendum gratiæ Propheticæ influxum, ecstasin arbitramur, talemque mentis emotionem, qua, excluso cessanteque externorum sensuum ministerio, mens tota profundissimæ sublimium & divinarum aut futurarum rerum meditationi vacat, eorumque, quæ in corpore aguntur, prorsus ignara, varias intra se imagines conspicit, sive mysticas rerum figuras, a Deo imaginationi infixas; vel Deum ipsum aut angelum, verba secum facientem, ac de præsentibus aut futuris edocentem, percipit ac audit. Augustinus *ad Simplician. lib. II. quæst. I. T. IV. Opp. p. 642.* ita definit: *Ecstasin nonnulli Latini stuporem interpretantur, mirum si proprie, sed vicine tamen, cum sit mentis alienatio a sensibus corporis, ut spiritus hominis divino Spiritu assumtus, capiendis atque intuendis imaginibus vacet; sicut Danieli demonstratum est, quod non intelligebat, & Petro illud vas submissum de cælo, quatuor linteis.* Eaque tam varia & multiplex deprehenditur ab eruditis, ut *naturalem* aliam nuncupent, causas physicas agnoscentem, qua vel ex morbo, vel nimia meditationum intensione, homo ab actu sensuum externorum abstrahitur, ut vel nihil omnino, vel valde tenuiter videat, audiat, sentiat, imo ambiguum quandoque sit, an vita sit superstes; de qua vid. Casp. Schottum *Phys. curios. lib. I. Mirab. c. 35. p. 125 sqq.* aliam *præternaturalem* sive *diabolicam*, qua Spiritus nequam variis impedimentis objectis, & præstigiis sensus exteriores ligat, ut exanimes appareant ita affecti, mentique misere sic deceptorum varia insusurrat & ingerit arcana; cujus exempla Peucerus dedit *lib. de Divinatione* & Bodinus *Dæmonom. lib. II. c. 5.* aliam demum *supernaturalem* atque *divinam*, qua Deus in revelandis mysteriis suis, vel rebus futuris, animo Prophetarum repræsentandis, utitur; quarum ultima

 tantum

tantum hujus eſt loci, qua Bileam Num. XXIV, 3. 4. Ezechiel c. VIII, 1 ſqq. Petrus Act. X, 10. 11. Paulus Act. XXII, 17. aliique vates divini leguntur gaviſi. Neque tamen inde cenſendum, omnem Prophetarum viſionem, quæ extra ſomnum ipſis contigit, non niſi per ecſtaſin eveniſſe, quod quidem e Judæis Maimonides in viſionis, quam dedit, deſcriptione *P. II. More Nevoch. cap. 41. p. 307.* & e Chriſtianis celeb. Vitringa in *Typo Doctr. Prophet. cap. II. §. 5. p. 11.* ſat clare innuere videntur, cum vel Moſis viſio rubi ardentis Exod. III. aliaque refragentur exempla. Hæc autem ecſtaſis divina ſcholaſticis paſſim & interpretibus Scripturæ diſtinguitur a raptu, qualis Pauli verbis perquam emphaticis deſcribitur 2. Cor. XII, 2. 3. 4. ipſum tamen diſcrepantiæ momentum non idem conſtituunt omnes. Thomam ſi audiamus, ille *II. 2. quæſt. 176. art. 2.* ita determinat: *ecſtaſis ſemper importat exceſſum a ſeipſo, ſecundum quem ſcil. aliquis extra ſuam ordinationem ponitur. Sed raptus ſuperaddit violentiam quandam, quando nimirum rapitur in id, quod eſt diverſum ab eo, in quod ejus inclinatio tendit, & ita parit violentiam non quidem ex ratione termini, ſed modi.* Rurſum Gisbert. Voëtius *P. II. Diſput. ſelect. p. 1040. §. 3.* ex aliorum ſententia ita diſcriminat, ut raptum latius patere, ecſtaſin vero ſpeciem quandam raptus dicat, quæ fiat appropriatius in mente. Sed ſi dicendum, quod res eſt, plus dicit raptus quam ecſtaſis, ille cumprimis, quo Paulus in tertium cœlum ſe memorat translatum; & ecſtaſin quidem quandam, ſed longe eminentioris rationis, nec omnibus Prophetis communem, involvit. Iſtud demum adhuc addo, quod, cum ecſtaſin ad præparationes animi Prophetarum referimus, a præcedentibus illa longo diſtet intervallo, cum illæ in hominis ſitæ ſint poteſtate, quibus obſtacula removeat, dono prophetico obicem poſitura; hæc vero divinum ſit medium, ab ipſo Numine ad præſentandas animo prophetarum ſpecies

quasdam immissum, neque tamen prophetiam ipsam constituat vel absolvat, sed mentem saltem ad recipiendum eam disponat & aptam reddat.

XI.

Ex his itaque facile colligitur, quod hominum isthæc sit, non angelorum dignitas, Prophetiæ gratia ornari. Quanquam enim angelorum ministerio, in revelationibus ad homines deferendis, usus quandoque Deus O. M. legatur, ut supra vidimus §. 7. porro quoque angeli ex visione Dei beatifica Matth. XVIII, 10. nec non ex revelationibus ecclesiæ factis, tum etiam ex vaticiniorum eventu, progressu temporis multa hauserint, quæ ipsos antea latebant, adeo ut multiformem illam sapientiam Dei per ecclesiam imperiis ac potestatibus, quæ in cœlis sunt, notam factam Paulus Eph. III, 10. perhibeat: nuspiam tamen in Scriptura, Propheticum vel donum, vel munus, vel encomium tributum ipsis deprehendes. Pertinet huc, quod de angelo h. e. Propheta ἐν καιρῷ ἀναρχίας Judic. II. ad Israelitas divinitus misso Augustinus *quæstion. XXXI. in Judic. T. IV. Opp. p. 307.* observat: *Nomine virorum solere appellari angelos, notum est; quamvis eum, qui esset angelus, appellatum esse Prophetam, non facile, seu evidenter occurrat: eum sane, qui Propheta esset, dictum angelum legimus.* Quin potius, prout ad gratiæ regnum, non gloriæ, divinum istud beneficium spectat; sic hominibus quoque, in regno gratiæ agentibus, ejusdem Deus concredidit facultatem & usum, ita tamen, ut pro εὐδοκίας suæ libertate tam viros, quam fœminas, tam rudes, quam literarum peritos, tam pios, quam impios, cœlesti isthoc munere mactarit. Ita quippe sequior quoque sexus, cui publice in ecclesia docendi facultatem denegat Apostolus 1. Tim. II, 12. prophetiæ tamen dono in utroque Testamento ornatus a Deo legitur; quemadmodum Mirjam, Mosis sororem Exod. XV, 20. Deboram

Jud. IV. Hannam, matrem Samuelis, 1. Sam. II. Nojadam Neh. VI, 4. Huldam 2. Reg. XXII, 14. 2. Chron. XXXIV, 22. Hannam viduam Luc. II, 36. & quatuor virgines, filias Philippi Diaconi Act. XXI, 9. Prophetissas sacra fert pagina; & Paulus mulierum in publico ecclesiæ Corinthiacæ cœtu prophetantium mentionem injicit 1. Cor. XI, 15. Sane Joëlis promissio c. II, 29. filias & ancillas, & sequiorem adeo sexum, in Propheticæ dignitatis fastigium collocat. Ceterum Rabbini, dum septem Israelis Prophetissas numerant, Mirjam, Deboram, Annam, Abigailem, Holdam, Estheram, circa septimam ancipites hærent, cum alii quatuor obstetrices Ægyptias in ultimum locum reponant, alii Saram nominent, alii Juditham, quas ipsorum nænias vide ap. Scip. Sgambatum *Lib. II. Archivor. Vet. Test. Tit. XVI. p. 269 sqq.* Præterea non tam eruditione, prosapia, autoritate humana, vel potentia pollentes, quos tamen nec omnino exclusit, quam humiles cumprimis, illiteratos ac Idiotas Deus ad Propheticum adhibuit munus, eligens quæ stulta sunt mundo, ut pudefaciat sapientes, & quæ sunt infirma mundo, eligens, ut pudefaciat valida, 1. Cor. I, 27. Non ergo Mosen tantum, in omni Ægyptiorum sapientia regiis sumptibus innutritum, non Jesaiam solum, regio prognatum sanguine; sed Davidem quoque pastorem & in paternis ædibus neglectum, Elisæum agricolam, Amosum pecuarium & sycomoros legentem, Jeremiam admodum juvenem, nec multo rerum usu subactum, Prophetico Spiritu implevit. Quod probe perpendens Gregorius M. *Hom. XXX. in Evangelia T. I. Opp. p. 1459.* *Ecce*, inquit, *apertis fidei oculis David, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, & sanctus iste Spiritus qualis sit artifex, considerare volo, sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque citharœdum puerum, & Psalmistam facit. Implet pastorem armentarium, sycomoros vellicantem, & Prophetam facit. Implet*

Implet abstinentem puerum, & judicem senum facit. Implet piscatorem, & prædicatorem facit. Implet persecutorem, & doctorem gentium facit. Implet publicanum, & Evangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus! Nulla ad discendum mora, agitur in omne, quod voluerit. Mox, ut tetigerit mentem, docet: solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum, subito ut illustrat, immutat: abnegat hoc repente, quod erat, & exhibet repente, quod non erat. Porro etiam, quemadmodum sacerdotalis dignitas in eos nonnunquam incidebat, qui pietate profligata, variis sese sceleribus inquinabant, ut filiorum Eli & Caiphæ exemplum, atque tot testantur Sacerdotum increpationes, apud Jeremiam & alios obviæ: ita prophetiæ donum interdum iis quoque concessum videmus, qui carnis mundique illecebris a pristina vitæ sanctimonia abripi, & in transversum se agi paterentur. Nam & Saulem hoc charismate sub regni sui auspicia inclutum, rebellione ac inobedientia adversus Deum, & invidia atque implacabili adversus Davidem odio, paulo post conscientiam conspurcasse; & Bileamum, dono quidem ac munere omnino Prophetam, impium tamen, mercedis injustitiæ amantem, & maleficum sacra oracula ferunt 2. Petr. II, 15. Judæ v. 11. Tam excellentia quidem & præclara dona, quale istud Prophetiæ est, non facile dixerim in impios conferre Deum, prout & in quantum impii sunt: concredita tamen olim, cum melioris adhuc frugis essent, non statim ab iis, in quantum organa sunt ecclesiæ, auferri, licet ab obsequio Dei fœde descissant, vel Judæ proditoris exemplum demonstrat, quem haud dubie miraculorum & evangelizandi dono, æque ac ceteri discipuli Christi Luc. X, 17. instructum, avaritia tamen & hypocrisi inquinatam circumtulisse mentem, ante quoque, quam proditionis consilium iniret, ex Joh. XII, 6. apparet. Cum enim hypocritarum quoque sint vera miracula, Christi nomine ac virtute

virtute edita Matth. VII, 22. quidni & reliqua ministrantia dona, in quibus Prophetia locum haud infimum tenet? Nam & impiorum ministerium salutari gaudet fructu, quod contra Donatistarum veterum ac recentiorum furores Aug. Conf. *Art. VIII.* & Apolog. *p. 155.* Scripturæ innixa oraculis, solide evincit: hinc non ad impietatem ipsorum, aut ad personæ qualitatem, sed ad præclaros ministerii ipsorum fructus, usumque in ecclesia organicum Deus respicit, quando impiis & concreditum olim munus sacrum, & collata ipsis dona conservat; velut heroicam istam, & humana longe augustiorem Spiritus virtutem, conservabat Simsoni, scelere haud uno gravissime inquinato, non ut luxuriei & impietati ejus autoritatem hoc pacto aut privilegium conciliaret, sed ut ejus ope ac manu salutem populo ferret, ab hostibus tantum non oppresso. Ea enim prophetiæ, quæ ceterorum est donorum ministrantium natura, ut ex se & per se non sanctificet vel salvet, quos instruit ac ornat, si fidei & bonæ conscientiæ illi faciant jacturam; nec dignitati ejus divinæ quicquam decedit vitio ministri aut prophetæ, cum Bileami de Messia, & felicitate ecclesiæ Judaicæ, oracula sibi constiterint, omnique excipienda fuerint veneratione ac fide, Num. XXIII, 9. 10. XXIV, 17. 18. 19. animo licet subdolo, & auri sacra fame infecto, prolata: æque ut hodienum vel dignitati, vel virtuti Evangelii nihil quicquam impietate adimitur Ministri, modo sincere proponat. Confer Ps. L, 16. sqq. Matth. XXIII, 2. 3. Viderit ergo Gisb. Voëtius, quomodo asserto suo fidem faciat, quando *T. II. Disp. sel. 67. §. 6. p. 1044.* nimis audacter pronunciat, *quod omnes Prophetæ proprie dicti fuerint servi Dei, & consequenter salvati, Luc. XIII, 28.* & lubrico fundamento isti salutem Salomonis superstruit. De iis enim Prophetis omnibus Salvatori loco cit. sermo est, qui fideles in servitio Dei perstitere, adeoque ad Paulinum Sanctorum V. T. catalogum Hebr. XI. spectant; ita tamen

ut

ut alios, qui a Domino desciverunt, suaque ipsi culpa salute exciderunt, a prophetiæ, qua gavisi sunt, gratia non excludat; quod ex allato Bileami exemplo, tum & ex Christi verbis Matth. VII, 22. constat. Sed in Prophetæ encomio nimis ἀκριβὴς Voëtius est, quando §. *12. pag. 1054.* Prophetas analogice saltem dicendos existimat θεόρτους illos, qui inviti prophetabant ex voluntate Dei, non sua, nec ipsi intelligebant, quid dicerent, ad quos Bileamum refert, Saulem, Cajapham; contra veros Prophetas & θεοπρόπους eos solum, qui volentes & vaticiniorum suorum probe gnari loquebantur. Bileamum enim Prophetam Scriptura non modo salutat, sed vaticinia quoque de Messia, florenteque Ecclesiæ statu demonstrant. Nec divina Jehovæ consultatio & collocutio Num. XXII, 9 sqq. nec Spiritus Jehovæ assistentia c. XXIV, 2. nec divina verborum in os ejus positio c. XXIII, 5. dubitare sinunt, veri nominis Prophetam fuisse. Nescivisse vero ipsum, quid diceret, universa non patitur historia, quæ oraculorum suorum probe gnarum ac intelligentem haud obscure docet. Potior ergo mihi sententia Hieronymi videtur, vel quisquis autor fuerit *Quæstion. Hebraicar. in Genesin T. IV. Opp. f. 96. D.* cui *Bileam ille divinus, primum vir sanctus & Prophetes Dei: postea per inobedientiam & desiderium munerum, dum Israel maledicere cupit, divini* (קוסם Jos. XIII, 22.) *vocabulo nuncupatus* creditur. Et Prophetam quidem veri Dei, sed avarum & improbum fuisse, prolixe demonstrat b. Gerhardus *Comment. in 2. Petr. II. ἐναντιοφαν. 4. p. 285.* quanquam non neget, lucri cupiditate impulsum, quandoque etiam illicitis divinationibus fuisse usum, præsertim cum inter infideles Dæmoniorum cultui deditos habitaverit. Consentiunt Judæi, quibus Bileam, dum pius & bonus fuit, per Spiritum Sanctum, ceu secundum prophetiæ gradum, locutus ap. Maimon. *More Nevoch. P. II. cap. XLV. p. 318.* traditur, sed degenerasse postea לקוסם *in divinatorem.* Et e

E Refor-

Reformatis suo in Academia Ultrajectina antecessori contradicit Witsius, cujus verba *Lib. I. Miscell. sacr. cap. 16. §. 35. p. 178.* ita habent: *inficiandum tamen non est, eum prophetiæ dono fuisse præditum, eo tempore, quo Dei cognitio in Syria nondum penitus exoleverat. Quamvis enim multis imposturis & fallaciis uti consueverit, a Deo tamen, non a dæmoniis, consilium & prænotionem futuri petiit ac consecutus est: Deusque eum in visione nocturna non minus familiariter compellat, quam unum e servis suis.* Sed hæc de Bileamo. Alia vero eorum est ratio, qui ad breve saltem temporis spacium ea gaudebant facultate, ut vaticinium unum vel alterum, sæpius quoque ignorantes, ederent, quos utique in Prophetarum censum referendos negamus. Sic Caiphas, licet Spiritus Sancti instinctu talia de morte Christi Joh. XI, 50. proferret, quæ materialiter saltem prophetiam in se continebant, quam ipse tamen ignoraret, Prophetæ sane titulum non meretur. Bene & sapienter in hanc sententiam pronunciat Augustinus, *ad Simplicianum l. II. Quæstion. ex libris Regum qv. I. T. IV. Opp. p. 642. Tantum distat inter prophetiam Prophetarum, sicut Esaias, sicut Jeremias, & ceteri hujusmodi fuerunt, atque istam transitoriam, quæ in Saul* (vel in Cajapha potius) *apparuit, quantum distat inter loquelam humanam, quam loquuntur homines, & cum eadem loquela humana propter necessarium prodigium asina locuta est, in qua sedebat Balaam Propheta: accepit enim hoc ad tempus illud jumentum.*

XII.

Sed ardua adhuc quæstio restat, an prophetiæ donum in prærogativis illis ecclesiæ Judaicæ fuerit, adeo, ut extra illam verus Jehovæ Propheta exortus nullus sit? quam ut affirmemus, haud una suppetit ratio. Succincte & graviter b. Hülsemannus *in Prolegom. Comment. in Jerem. cap. I. §. 7. p. 8.* sententiam fert: *Illi cetera Spiritus Sancti charismata pomæ-*

ria ecclesiæ non egrediuntur, Job. XIV, 17. ita prophetiæ donum cœtui vocatorum proprium est, 1. Cor. XII, 10. Joël. II, 28. Apoc. XIX, 10. Ea nimirum divino beneficio dignitas erat gentis Judaicæ, ut omnes terræ nationes, multis, iisque illustribus, maxime vero spiritualibus antecelleret prærogativis. In iis vero agnitio & patefactio divinæ voluntatis, rectæque Deum colendi rationis familiam veluti ducit, Israeli soli propria, Ps. LXXVI, 2. 3. CXLVII, 19. 20. Rom. III, 1. 2. quæ adeo latebat gentiles, ut ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ ob hanc revelationis divinæ ignorantiam Apostolo audiant Eph. II, 12. Hos enim omnes tunc temporis sinebat Deus ire in viis suis, Act. XIV, 16. Revelationis autem hujus medium & modus cum haud unus erat, tum præcipue prophetia, qua & cultus Deo placens præscribebatur, & salutaris Messiæ cognitio, in verbo scripto jam suppeditata, declarabatur uberius, & corruptelæ, quæ vel doctrinæ publice sonanti, vel cultui etiam vitium intulerant, corrigebantur; sic ut hac nota velut characteristica verus a falso discerneretur Propheta, si voluntatem Numinis, veramque ejus agnitionem, juxta præscriptum verbi divini, exponeret, Deut. XIII, 1. 2. 3. XVIII, 20. quos si Deus gentibus quoque indulsisset, hoc sane αὐχήματι Judaica gloriari ecclesia sola non potuisset. Hinc in censum beneficiorum, quibus Israelem præ reliquis terræ nationibus mactaverat Deus, istud vel maxime venit, quod ex filiis ipsorum Prophetas excitasset, & Nasiræos ex juvenibus ipsorum, Amos. II, 11. Sed & Deus ipse infallibilem vaticinandi facultatem, de rebus longe dissitis atque futuris, ecclesiæ Judaicæ adeo censet propriam, ut hoc κριτηρίῳ a cœtibus & cultu vario, omnium terræ gentium, illam discriminet, ethnicosque provocet hariolos atque aruspices, ut paria cum Prophetis Israelis oracula fundant, Jes. XLI, 21 sqq. Hinc non abs re gentilium vates, supra §. 3. improprie Prophetas diximus, quibus id no-

minis in quadam latitudine, & velut mutuo accommodetur, vere autem & proprie non conveniat. Nulli equidem negamus, extra ecclesiam quoque, & ad gentiles missos nonnunquam fuisse veros Jehovæ Prophetas, quo pacto Jonam Ninivitas ad pœnitentiam fuisse adhortatum, Eliam ad Syros missum, ut Hasaëlem regem ungeret, & Jesaiam, Jeremiam atque ceteros passim, contra infidelium nationes atque provincias vaticinia edidisse, quin & nonnunquam medios inter idololatras officio fuisse functos legimus, eos cumprimis, qui Babylonem in captivitatem abrepti, non civibus modo suis, sed & infidelibus loquebantur: neque tamen eapropter & ipsi gentiles, aut extra ecclesiæ sinum oriundi & a Deo excitati fuerunt. Quod enim ad gentes loquerentur interdum, divinæ benignitatis documentum præbet, quæ hac χειραγωγίᾳ eos quoque, qui in tenebris & umbra mortis versabantur, ad illustrem ecclesiæ Gosen deducere, tum & afflicto a gentilibus populo Dei efficacissimum parare solatium volebat, dum tantas interminaretur hostibus pœnas: ipsos vero Prophetas ex ecclesiæ gremio non eliminat, aut gentilibus adjungit. Non equidem me fugit, ex Rabbinorum sententia septem in Scriptura recenseri נביאי האומות *Prophetas gentium*, Jobum, Eliphaz, Bildad, Sophar, Elihu, Bileamum & Peor. Verum, quod de Bileamo jam diximus, primo ipsum veri Numinis servum, ejusque cultui addictum fuisse, id de Patre ejus Peor, quem prophetico munere vel dono illustrem nullum vetustatis documentum docet, quadam veri similitudine affirmandum videtur. De Jobo autem & quatuor ipsius amicis satis probabiliter constat, ab Abrahamo forte oriundos, avitæque adhuc tenaces fuisse religionis, de quibus ex instituto agere locus hic non permittit, egit vero erudite & copiose Frid. Spanhem. *in Histor. Jobi cap. XIII. p. 392. & c. XIV. p. 438.* Unde discrepantiæ ista corruunt momenta, quæ satis pueriliter excogitata, Judæorum

Magi-

Magiſtri in *Vajikra Rabba*, ſeu Commentario Rabba bar Nachmoni in Levitic. tradunt, Deum Prophetis gentium non loqui, niſi ſermone dimidiato, ſed cum Prophetis Iſraelis ſermone integro, lingua ſancta, lingua angelorum miniſterii, qui eum laudant: nec cum Prophetis gentium loqui, niſi tempore, quo homines rem a re diſcernunt, per ſomnium in viſione nocturna; vel certe a longe, ſicut dictum eſt: de terra longinqua veniunt ad me: ſed cum Prophetis Iſraelis loqui ſtatim &c. quæ ipſorum commenta repetit, & de ſeptem iſtis gentium Prophetis fuſius diſſerit Scip. Sgambatus *Lib. II. Archiv. Vet. Teſt. Tit. XI. p. 250 ſqq.* conciſius Hottinger. *Theſ. Phil. Lib. II. cap. 3. Sect. IV. p. 575.* Tandem & huc Sibyllæ ſpectant, quarum tot vetuſtiſſimorum gentilium pariter, ac Chriſtianorum Doctorum teſtimoniis ac autoritate celebrata memoria fuit, ſi fidem mererentur, quæ varie de ipſis tradita ad nos pervenerunt, aut ſub ipſarum nomine carmina venditantur. Quanquam enim cum Socino *in Anti-Wieko, reſponſione ad 13. caput*, univerſam hiſtoriæ fidem in dubium vocare, aut extitiſſe unquam vatidicas illas fœminas inficiari, non ſuſtineamus: adeo tamen confuſa ſunt, quæ de iis produntur, adeo diſſona, nec ſibi cohærentia, ut in tanta rerum caligine verum a falſo haud facile diſcernere detur. Uberius qui de ipſis, ipſarumque libris, cognoſcere cupit, e Patribus Lactantium adeat, *Lib. I. Inſtit. Divin. c. 6.* & quotquot in eum commentati ſunt recentiores Doctores, e Reformatis Caſaubonum *Exercit. I. ad Apparatum Annal. Baron. num. XVIII. p. 53.* Blondellum *2. libris de Sibyllis* ex inſtituto agentem, & Spanhemium *Dub. Evang. XXXIV. §. 6. T. 1. p. 371 ſqq.* e Pontificiis Scip. Sgambatum *Lib. I. Archiv. Vet. Teſt. Tit. 19. p. 157.* e noſtratibus b. Eraſm. Schmid. *in Sibyllinis*, b. Calov. *Iſagoges lib. I. c. 8. §. 3. p. 138 ſqq.* b. Joh. Henr. Urſinum *de Zoroaſtre p. 225 ſq.* & *Theol. Symbol. n. 24. p. 35 ſq.* & *Analect. Sacr. Vol. II. lib. IV.*

cap. 8. p. 173. b. Hulſemann. *Prolegom. Comm. in Jerem. cap. I. §. 6. p. 6.* b. Danhauerum *T. I. Theol. Conſcient. Proœm. §. 3. p. 9. ſeq.* & *Chriſteid. Act. I. Phænom. I. p. 20 ſqq.* b. Pfeifferum *Anti-Chiliaſmi c. 9. pag. 434 ſqq.* b. Colbergium *in Chriſtian. Platonico-Hermet. P. I. c. V. §. 1. p. 208.* Uti vero de eo ſatis convenit inter eruditos, carmina illa Sibyllina, quæ ad noſtram transmiſſa ſunt ætatem, ὑποβολιμαῖα non γνήσια eſſe, & ita comparata, ut longe, quam feruntur, recentioris originis indicia prodant: ita Prophetiſſas illas dicere, aut de vatidica illarum virtute certi quid affirmare vix licet, nedum ut lubricis ejusmodi inducti commentis, prophetiæ donum hominibus ethnicis quoque indultum cenſeamus. Jam vero ex iis, quæ allata ſunt in medium, judicium facili negotio fieri poterit de Spinoſæ, quas hic nectit, tricis. Is enim *Tract. Theol. Polit. cap. 3. p. 30 ſqq.* quæſtionem illam, an donum propheticum Hebræis peculiare fuerit? de induſtria diſcutiens, & in negativam concedens ſententiam, ita inſtituit, ut Deum omnibus hominibus æque propitium ſemper fuiſſe, nec Hebræos alia in re præſtitiſſe ceteris gentibus affirmet, quam ſola imperii temporanea felicitate & commodis terrenis; vocatis in ſubſidium teſtimoniis Scripturæ Mal. I, 10. 11. Pſ. CXLV, 18. 9. XXXIII, 15. Jobi XXVIII, 28. Jonæ IV, 2. Inde ulterius progreſſus: *concludimus ergo,* inquit p. 36. (*quandoquidem Deus omnibus æque propitius eſt, & Hebræi, non niſi ratione ſocietatis & imperii a Deo electi fuerint,*) *unumquemque Judæum extra ſocietatem & imperium ſolum conſideratum, nullum Dei donum ſupra alios habere, nec ullum diſcrimen inter ipſum & gentilem eſſe. Cum itaque verum ſit, quod Deus omnibus æque benignus, miſericors &c. ſit, & Prophetæ officium non tam fuerit, leges patriæ peculiares, quam veram virtutem docere, hominesque de ea monere; non dubium eſt, quin omnes nationes Prophetas habuerint, & quod donum propheticum Judæis peculiare non fuerit.*

Sed

Sed ὕπουλον hæc tegunt haud unum. Præterquam enim, quod ex Spinosæ promanant πρώτῳ ψεύδει, secundum quod universa natura Deus est, quæ cum omnibus gentibus sit communis, hinc esse, ut nulla præ ceteris natio jure quodam peculiari, aut prærogativa gaudere queat: aperte quoque Mosaicis atque Paulinis refragantur testimoniis, sub initium hujus §. citatis, quæ in promulgata lege, cultus divini ratione, cœlesti revelatione, aliisque spiritualibus cumprimis beneficiis, Israelitas omnes terræ nationes anteivisse, diserte testantur. Reliqua autem ejus argumenta, quod veri Jehovæ Prophetæ non solis Judæis, sed gentibus quoque vaticinati sint; & quod Bileam Syrus, adeoque extra Israelis civitatem positus, verus Propheta fuerit, in præcedentibus jam occupavimus, iis profligandis ut jam necesse non sit immorari.

XIII.

Ea vero, in quibus revelandis versatur prophetia, non futura modo sunt, sed quævis res abstrusæ & arcanæ, ac vel Prophetæ ipsi, vel sententiam eius sciscitantibus incognitæ. Harum nonnullæ ita sunt comparatæ, ut ob sublimitatem suam naturali rationi prorsus sint impervestigabiles, & absque divini luminis interventu intelligi nequeant, qualia sunt pleraque fidei mysteria, in scriptis propheticis patefacta: alia ex eventus incertitudine certo prædici humanitus nequeunt, nisi a Deo, rerum futurarum omnium conscio, revelentur, ut futura contingentia, Prophetis cum ἀσφαλείᾳ prædicenda, a Numine supremo inspirata: aliæ demum sunt certo saltem modo incognitæ & abstrusæ, licet alias, adhibitis rite mediis, cognosci facile potuerint, velut cum Elisa ex prophetica sciret revelatione, quæ cum Naamane Syro pactus fuerat Gehasi, 2. Reg. V, 26. & Petrus, quod inter Ananiam & Sapphiram convenerat, Act. V, 1. aut quæ Moses de creatione mundi, de diluvio & Patriarcharum rebus gestis, quæ diu ante peracta, longo

tem-

temporum tractu obliterata ferme fuerant, literis consignabat. Hinc itaque manifestum evadit, quod præter futura, de quibus dubium non est, tam circa præterita versetur prophetia, ut Danielis revelatio somnii, cujus oblivio Nebucadnezarem ceperat, Dan. II. & Salvatoris nostri accurata delineatio, quam de Samaritanæ matrimonio dabat, Joh. IV, 17. sqq. quam circa præsentia, velut Elisa Regis Syriæ consilia, in interiori agitata conclavi, in numerato habebat, 2. Reg. VI, 8 sqq. unde de rebus absconditis, v. g. de amissis asinabus, consulebant Prophetas, 1. Sam. IX. Siquidem & hic locum habet illud Maronis *Lib. IV. Georgic. v. 391. sq.*

novit namque omnia vates,
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Sive de cetero res istæ sacræ essent, ut beneficia N. T. & mysteria de Christo exhibendo, patiente &c. aut bona futuræ vitæ, Jes. VII, 14. Jer. VII, 11. Zach. IX, 9. Jes. LIII. sive prophanæ, de mutationibus imperiorum, ut est apud Danielem, vel de Cyro ejusque gestis, Jes. XVII, 1 sq. XLIV, 25. de septuaginta captivitatis Babylonicæ annis, Jer. XXV, 11 sq. Cumprimis autem de Christo oracula fundebant Prophetæ, Petro Apostolo teste Act. X, 43. imo Christo ipso asserente Luc. XXIV, 25. 44. Confer Act. III, 24. 1. Petr. I, 10. 11. ut adeo Augustinus operæ pretium existimaverit, *Libro XVIII. de Civit. Dei cap. XXVIII - XXXVI.* prolixe demonstrare, quæ quilibet Prophetarum sigillatim de Christo testimonia perhibuerit. Post hunc idem quidem institutum, sed ampliori omnino eruditionis ac vindiciarum apparatu, executus est Huetius in eruditissima Demonstratione Evangel. *Propos. VII. & IX. p. 555. 669 sqq.* qua ad oculum demonstrat, hunc unum omnes Prophetas præfixum habuisse scopum, ut Jesum Nazarenum ejusque mysteria delinearent. Consentiunt Judæi, quorum apho-

phorismus in *Mass. Sanhedrin fol. 99.* 1. ex R. Jochanan effato, ta habet: כל הנביאים כלם לא נתנבאו אלא לימות המשיח: Omnes in universum Prophetæ non vaticinati sunt, nisi de dieus Messiæ: quem paulo aliter, sensu tamen eodem sic effert R. Salomo *Comment. ad Zach. IX, 1.* אמר מר כל הנביאים כלם לא נתנבאו אלא על שנות הגאולה וימות המשיח כך הברייתא זו שנויה בספרי *Dixit Mar: omnes Prophetæ universi non prophetarunt nisi super annis redemtionis, & diebus Messiæ: sic est istud traditum & scriptum in libro Sibre.* Merito ergo Augustino vapulant Manichæi, qui, Fauto interprete, vel ideo rejiciebant Prophetarum scripta, quod ullam Salvatoris injiciant mentionem: *Faustus dixit: Cur on accipitis Prophetas? Imo, tu dic potius, si quid habes, cur ebeamus Prophetas accipere. Propter testimonia, inquit, quæ e Christo præfati sunt. Ego quidem nulla inveni, quamvis ttentius eos, & curiosissime legerim, lib. XVI. contra Faustum Manich. cap. I. T. VI. Opp. p. 254.* quod putidum ipsorum argulentum ἀυτοψία retundit. Paria fere delirabat Theodorus Mopsuestenus, qui licet Prophetarum monumenta non equiem aperte repudiaret, negabat tamen, unquam ipsos de Chrio prophetasse, ut ex fragmentis commentariorum ejus, quæ n quinta Synodo collat. 4. recitantur, intelligi potest. Conf. ellarmin. *lib. I. de Verbo Dei cap. 5.* Verum hac ratione fiem Christi verbis detraxerit, qui, perlecto loco Es. LXI, 1 sq. atim subjunxit: *hodie impleta est hæc Scriptura audientibus obis &c.* Luc. IV, 21. Sublestam vero Hug. Grotii sententiam, uod propheticæ de Christo prædictiones universæ, primaum suum ac proximum sensum, ad ejus, quo proferebanur, temporis historiam referant, secundarium vero, mystium & allegoricum demum ad Christum; hinc etiam vatiinia illa non in vim argumenti proprie adhibeantur, sed ad

illustrandam atque confirmandam rem jam creditam: ex merito profligavit Huetius *cit. loc. Propos. VII. §. 4. 5. p. 559. sqq.* & accuratius adhuc e nostris b. Calovius *observat. ad præfat. Grotian. §. 14 sqq. T. I. Bibl. Illustr. p. 204 sqq.* & in ipso opere passim, ubi præcipua de Christo vaticinia a pessimis Grotii detorsionibus vindicat, & quo immediate proprieque sensu explicanda veniant, solide demonstrat.

XIV.

Jam ut ad genuinam prophetiæ indolem, quam formalem ejus rationem dixerint Philosophi, & ad id devolvamur, in quo proprie sita illa sit, ad duo cumprimis attendendum est: rerum nempe revelatarum perceptionem, earumque cum aliis factam communicationem. Prior illa ex inspiratione pendet, quam haud uno modo factam supra jam memoravimus. Nunc addo, perceptionem istam non per modum habitus se habuisse, qui disciplina & assuefactione paratur, nec per scientiæ modum, qua quovis loco ac tempore homo pro lubitu uti potest; sed per motum transeuntem Prophetis contigisse, ut magnus probe observavit Hülsemannus *cit. loc. cap. 2. §. 4. p. 12.* Lutherum haud dubie secutus, qui *Commentar. in Genes. c. XLIV. f. 602. a.* aliud quidem agens, eandem sententiam inculcat: *Usitato proverbio apud Theologos dici solet: Spiritus Sanctus non semper tangit corda Prophetarum. Illuminationes propheticæ non sunt continuæ & perpetuæ. Sicut Isaias non habuit continuas & assiduas revelationes de rebus maximis, sed per vices temporum. Idem testatur exemplum Elisæi, cum ait de Sunamitide: Dimitte illam, anima enim ejus in amaritudine est, & Dominus celavit a me, & non indicavit mihi. Ibi fatetur, Deum non semper tangere corda Prophetarum. Interdum etiam venit Spiritus, cum aut cythara, aut Psalterio luderent, & Psalmos quosdam, & cantica spiritualia decantarent.* Manifestum satis hoc est ex allatis exemplis:

& pari

& pari ratione LXX. illi Seniores, a Mose in consilii & regiminis societatem acciti, quoties requiesceret super eos Spiritus Domini, prophetabant, de cetero tacebant, Num. XI, 25. Paria Sauli evenisse, ex 1. Sam. X, 10. XIX, 23 sq. constat. Hinc non in numerato semper habebant prophetias sacri vates, nec quandocunque aut qua mensura ipsi cuperent, Spiritum Propheticum recipiebant, sed nova semper revelatione, eaque nonnunquam precibus efflagitanda, opus erat; & hærebant aliquando, cum divina ipsis inspiratio non adesset. Ex quo satis apparet, non per habitum perpetuum, stabilemque quandam scientiam, sed motu divino & extraordinario excitatos, vaticinia edidisse. Omnium autem optime Petrus Apostolus divinum hunc delineat motum, quando sanctos Dei homines ϗ θελήμαλι ἀνθρώπϗ, non propria autoritate, aut ex suopte ingenio vaticinatos esse, ἀλλ᾽ ὑπὸ πνεύμαλος ἁγίϗ φερομένϗς, sed a Spiritu Sancto impulsos & agitatos, oracula fudisse perhibet 2. Ep. I, 21. Ista vero πνευμαλοφορὰ varia complectitur, & *primo* quidem, discussis tenebris naturalibus, mentem eorum collustrabat, ut velut aër per radios solares, aut obscurum conclave accensa lampade, sic ipsa cœlesti jubare illuminata, arcana ista vel sublimia, divinitus sibi oblata & impressa, percipere & assequi valeret; *hinc* de divina revelationis sibi factæ origine & autoritate certos faciebat, ne influxum illum pro Satanæ ludibrio vel fallacia phantasiæ haberent, sed Numine se plenos intelligerent; *porro* vel invitos rapiebat in assensum, ut benedicere Israelitis renuens Bileam, non tamen posset, nisi bene ominata verba proferre, iisque adstipulari, Num. XXIII, 8. 20. XXIV, 13 sq. *demum* sancto quodam, & tam valido agebat Prophetas impulsu, ut ei restinguendo impares se deprehenderent, teste Jeremia c. XX, 7. 8. XXIII, 9. & Micha c. III, 8. Atque ex his facile judicium fieri poterit de veteri illo Montanistarum errore, qui ita pro-

 phetasse

phetaſſe viros ſanctos ferebant, ut more abreptitiorum ipſi non intelligerent, quæ loquerentur. Quo cum fere convenit recutitorum ſcitum in *Elle Haddebarim Rabba:* כל הנביאים היו מתנבאים ולא יודעים מה מתנבאים חוץ מישעיה וירמיה: *Omnibus Prophetis reliquis vaticinantibus obſcura erant, quæ vaticinabantur, exceptis Jeſaia & Jeremia.* Sane iſtud nec præſentiæ, nec illuminationi divinæ ſatis reſpondet, ut amentes reddat, quos cœleſti ſapientia replevit, quin cum Paulo potius *ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα* proferant, Act. XXVI, 25. Hinc Epiphanius *hæreſi XLVIII. cap. 3. T. I. Opp. p. 404 ſq.* ſolide & de induſtria contra Montaniſtas evincit, quod *ὁ προφήτης μετὰ καταστάσεως λογισμῶν, καὶ παρακολουθήσεως ἐλάλει, καὶ ἐφθέγγετο ἐκ πνεύματος ἁγίου, τὰ πάντα ἐρρωμένως λέγων*, *verus Propheta cum ſui compos, tum ea, quæ dicebat, intelligens, futura nunciaret, proque eo, ac Spiritus S. impulerat, præcipuo quodam animi robore vaticinari ſoleret*; idque Moſis, Jeſaiæ, Ezechielis, & Danielis exemplis demonſtrat, inſanam autem Montani prophetiam aliquam ex merito falſe ridet. Alia vero quæſtio eſt, de genuina viſorum ſignificatione, an ſemper gaviſi fuerint ea Prophetæ, Deusque explicationem viſionibus, ſive externam, quod ſæpe contigiſſe memoratur, ſive per internam illuminationem junxerit, ut & noſſent, quæ videbant & loquebantur, & ſignificationem omnium callerent, quid portenderent & futurum præſignificarent? Quam quidem controverſiam, in utramque partem a Patribus ventilatam, ex noſtris b. D. Joh. Schmidius *Prolegom. Comm. in Proph. minor. p. 40 ſqq.* & e Pontificiis Corn. a Lap. *Prooemio in Prophetas p. 8 ſq.* copioſe perorant. Eam vero nec affirmare de omnibus, nec negare de ſingulis licet, cum & hic pro ſapientiæ ſuæ beneplacito libere egerit Deus, & ampliorem aliis, aliis anguſtiorem gratiæ & luminis cœleſtis indulſerit menſuram. Nonnunquam enim viſionum

ſenſum

ſenſum ſtatim perſpiciebant, omnesque futurorum eventuum circumſtantias adeo perſpicue ob oculos ponebant auditoribus, quaſi jam coram agerentur. Quo Jeſaiæ de Chriſti ex virgine nativitate c. VII. paſſione & morte c. LIII. victoria de hoſtibus ſpiritualibus c. LXIII. ejusque & Jeremiæ, de urbis excidio & captivitate Babylonica, aliaque id genus, clariſſima oracula ſpectant. Hinc Daniel intelligentiam ſibi eſſe per viſionem, c. X, 1. teſtatur. Rurſus vero viſiones quidem oblatas ſibi noverant interdum, ſignificationis tamen earum jamdiu ignari, donec explicatio uberior accederet, ut Danieli contigit c. VII, 15. 16. & Zachariæ c. IV, 11 ſqq. Quin & ubi data eſſet viſorum explicatio, qua ſubſtantiam eorum, tamen qua circumſtantias adhuc hæſitabant nonnunquam Prophetæ, velut Daniel a Gabriele quidem ſatis edoctus, ſtupuit tamen ſuper viſione, nec ſatis ſibi declaratam conqueritur, ואין מבין *nec erat intelligere faciens*, cap. VIII, 27. Tandem alicubi viſionum ſuarum nec ſenſum aſſequebantur, nec explicationem, precibus licet flagitatam, impetrabant, ex eventu demum olim petendam, velut ex Dan. XII, 8 ſqq. apparet. Ut adeo divinæ οἰκονομίας libertate, ſapientique ejus diſpoſitione id omne ſtaret, num & in quantum viſorum cum ipſis communicare vellet, nec ne, ſignificationem. Demum vero, quando & illud ad θεοφορήτων retulimus Prophetarum inſpirationem, quod certos illa redderet de impulſus illius, & ipſius, quem patiebantur, divinitate; notamus inſuper, indubia omnino Prophetis fuiſſe τεκμήρια & ſigna, quibus certo perſuaſi non modo, ſed & convicti reddebantur, non alius, niſi divinæ & originis & autoritatis, eſſe revelationem ſuam, adeo ut adverſus omnes vel renitentium auditorum, vel Pſeudoprophetarum contradictiones, validiſſime eam aſſerere atque tueri nulli dubitarent. Idem namque Spiritus, qui irrefragabile υἱοθεσίας teſtimonium perhibet Spiritui noſtro,

 Rom.

Rom. VIII, 16. eam quoque Prophetarum animo, divinitus collustrato, παρρησίαν insinuabat, ut, absque ullo erroris aut falsæ persuasionis metu, certissime statuerent atque sentirent, *Spiritum Jehovæ in se loqui, & sermonem ejus super lingua sua esse, sibi loqui Deum Israelis, sibi loqui petram Israelis &c.* 2. Sam. XXIII, 2. 3. Unde Jacobus de somnii sui divinitate adeo certus erat, ut vel jurato eam asserere sustineret: *profecto Jehova est hic loci, ego vero nesciebam*, Gen. XXVIII, 16. Jeremias omnino, ob oraculum de excindendis Hierosolymis a Pashure Sacerdote percussus, & in vincula conjectus, de revelationis tamen ac missionis suæ divinitate non ambigebat, sed intrepido vultu animoque veritatem vaticinii adversus Pashurem asserebat c. XX, 3 sqq. Nec de prævisa Israelitarum clade, tanquam divinitus sibi ostensa, quicquam dubitabat Micha, quicquid etiam obgannirent Pseudoprophetæ, 1. Reg. XXII, 12 sqq. Οἱ δὲ ἅγιοι ἄνδρες μεταξὺ τῶν ἐμπαιγμῶν καὶ ἀποκαλύψεων αὐτὰς τὰς τῶν ὁράσεων εἰκόνας ἐνδοτάτῳ τινὶ διακρίσει δικάζουσιν, ὥστε αὐτοὺς ἐπιγνῶναι, τί παρὰ τοῦ ἀγαθοῦ πνεύματος λαμβάνουσι, τί δὲ παρὰ τοῦ ἐμπαίζοντος ὑπομένουσι. *Sancti namque viri inter illusiones atque revelationes, ipsas visionum voces aut imagines quodam intimo sapore discernunt, ut sciant, vel quid a bono Spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur*, ait S. Gregorius *Dialogor. lib. IV. cap. XLVIII. T. II. Opp. p. 307.* Accedebat sæpius divinæ Majestatis symbolum aliquod externum, inusitato fulgore oculos vel mentis etiam aciem perstringens, aut fragore quodam insueto aures percutiens, & animum simul in admirationem rapiens, singularemque divinæ præsentiæ manifestationem haud dubiis indiciis demonstrans; velut Mosen ex rubo ardente vocans Dominus Exod. III, 2 sqq. & Eliam, post varias procellæ, ignis, auræque suavis vicissitudines, compellans 1. Reg. XIX, 14. satis evidentibus patefactionis suæ testimoniis, divinam visionum istarum originem edocebat. Ut

taceam

aceam, eventum revelationi ex asse respondentem, proximeque illam interdum insequentem, animum Prophetarum ita confirmasse, ut fallaciæ metum ac dubitationem omnem procul haberent. Sic Sauli domum tendenti signa a Samuele prædicta, statim in via eveniebant, fidemque prophetiæ conciliabant, 1. Sam. X, 7. 10 sqq. nec Ananiam, Pauli conversionem in visione perspicientem Act. IX, 17. aut Petrum, Cornelium Cæsareensem cum familia μαθητεύειν jussum c. X. & XI. de divinitate revelationis dubitare sinebat eventus. Sed de inspirationis perceptione ista quidem sufficiant; nunc ad ejusdem cum aliis factam communicationem pergendum.

XV.

Ea vero ad divinum equidem nutum & impulsum, modo tamen vario instituebatur. Mox enim simplici & aperta utebantur oratione, sive coram populum visa edocerent; sive literis consignata conspectui omnium ponerent, cujus exempla Jes. XXX, 8. Jer. XXXVI, 2. Dan. XII, 4. Hab. II, 2. habes; sive per epistolam absentes de voluntate Dei instruerent & monerent, ut Jer. XXIX. & 2. Chron. XXI, 12. Mox sub symbolorum involucris, quid scitu, facto, creditu opus esset, suis ob oculos ponebant, idque rursus vel per parabolicam verborum structuram, velut Jesaias c. V. sub symbolo vineæ prius diligenter cultæ, postmodum vero, ubi spem falleret coloni, neglectæ, ingratitudinem, sterilitatem & abjectionem populi adumbrabat; & Ezechiel sub figura lignorum silvis, combustioni destinatorum, desolationem urbis designabat, cui quippe perquam frequens erat hæc docendi ratio c. XX, 49. XVII. XXIII. XXIV. XXXIII. vel per actiones mysticas & adumbrativas, quo Jeremiæ jugum, imminentis servitutis indicium c. XXVII, 2 sqq. ejusdemque rursus emtio agri, & literarum contractus asservatio, reditus e Babylone nuntia c. XXXII, 9 sqq. Jesaiæ quoque nudipeda incessio c. XX, 2.

XX, 2. Ezechielis cubatio in uno latere per certos ſtatosque dies Ezech. IV, 46. & aliæ id genus Prophetarum actiones pertinent: vel per ὀνοματοθεσίαν figuratam, qualis in Jeſaiæ filiis, quorum alteri Schear Jeſub, alteri Mahar-Schalal-Chas-bas nomen dabatur c. VII. & VIII. & in Oſeæ liberis, cujus filia Lo-Rüchamo, filius autem Lo-Ammi c. I. dicebatur, obſervanda venit. Symbolari autem iſtiusmodi prophetiæ ſæpius adjiciebatur explicatio, exemplo vineæ, Jeſ. V. ollæ ferventis & virgæ vigilantis, Jer. I, 13 ſqq. Sæpe quoque deerat, cum nuda proponeretur viſio, velut plurimæ Ezechielis viſiones ſymbolicæ, nec non Apocalypticæ Johannis, adjecta declaratione deſtituuntur. Omnem enim lapidem movebant Prophetæ, ut quacunque ratione oſcitantem & duræ cervicis populum ad attentionem excitarent, tædiumque abſtergerent facile oriturum, ſi eandem omnes methodum viamque inſiſterent, aut chorda oberrarent eadem. Ceterum de publica vaticiniorum promulgatione notandum inſuper eſt, quod conſtans fert & pervulgata inter eruditos opinio, concionibus primo ad populum habitis, revelata ſibi ediſſeruiſſe Prophetas, forte etiam uberius declarata, ad rem præſentem, ſtatumque populi, applicuiſſe: horum poſtmodum ſummam, in brevem coactam epitomen, valvis templi affixiſſe, ne prætexendæ ignorantiæ ſupereſſet locus. Quæ cum per aliquot dies ſatis patuiſſet, ablata rurſus a miniſtris templi, & in theſaurum eccleſiæ, vel arcam teſtamentariam repoſita fuerit, ut perpetuum ejus rei monumentum extaret, unde demum Canonici noſtri Prophetarum libri enati & confecti ſint. Primum ſententiæ hujus autorem ſe jactat Calvinus *ſub fin. præfationis in Jeſaiam T. IV. Opp. p. 4.* a qua non multum abit Coccejus *Comm. in Habac. II. 2. T. III. Opp. p. 580.* niſi quod domi ſuæ tabulas iſtas aſſervaſſe, omnibusque legendas propoſuiſſe cenſeat Prophetas. In eandem Calvini ſententiam pedibus

pedibus eunt e Pontificiis Corn. a Lapide *procem. in Proph. Maj. fol.21.D.* e Reformatis Heideggerus *Exercit. Biblic. XI.§.39. p.380.* nec non *in Enchir. Lib. I. cap. 19. §. 6. p.136.* nec omnino eam improbat e nostratibus b. Hülsemannus *proleg. Comm. in Jerem. cap. III. §. 2. p. 13.* Et satis quidem præsidii habet in Jesaia pariter, qui tabulam sumere, & super eam stylo hominis scribere jubetur c. VIII, 1. ac in Habacuco, cui c. II, 2. visionem literis mandare, & explanare super tabulis, a Domino injungitur, ut percurrat legens in ea. Sed quod de templi valvis additur, id paucis perquam datum fuisset, cum Prophetarum plurimi in regno Israelis, cui templum non erat, nec Hierosolymitanum colebatur amplius; nonnulli etiam in captivitate Babylonica, ut Ezechiel, Daniel, Zacharias; pauci tandem post captivitatem, cum restauraretur demum ex ruinis templum, ut Haggæus & Malachias, vixerint. Si itaque instar programmatum ac intimationum publicarum affigebantur vaticinia, quod vero perquam simile, & si non semper, sæpius tamen factum videtur; de valvis auditorii cujuscunque publici, sive synagogæ, sive ædium Prophetæ, ad quas conventum nonnunquam publice fuisse, supra §. 8. observavimus, suspensa & promulgata tutius dicemus. Vide, quæ in hanc sententiam affert b. Avus noster *Disput. Isagogicar. in Chemnit. prolegom. cap. I §. 8. p. 5.*

XVI.

Quod itaque ad officium attinet Prophetarum, α) extraordinarii erant ecclesiæ Doctores, in sincera Numinis & voluntatis ejus agnitione, auditores suos instruentes. Ordinarie quidem hæ Sacerdotum partes erant, ut Jacobum statuta Dei, & Israelem legem docerent, Deut. XXXIII, 10. hinc ab ipsorum ore lex requirebatur, Mal. II, 7. verum ubi illi officio minus satisfacerent, vel humanis ingenii sui commentis sinceritatem doctrinæ corrumperent, vel tanta apud populum rebellem autoritate non pollerent, ut in officio satis possent

continere, Prophetas excitabat Dominus, qui ampliori autoritate, tum & eloquiorum instructi infallibilitate, vel oneri succumbentes juvarent Sacerdotes, vel torpentes ad faciendum officium excitarent, vel a semita Domini & forma sanorum verborum deflectentes in ordinem redigerent, & increparent. Tam ergo credenda inculcabant, quam facienda, virtutis viam monstrabant, & ad observantiam divinæ legis hortabantur. Hinc porro β) monitores erant & reformatores, ubi vel disciplina ecclesiæ laxior grassantibus vitiis locum dedisset, vel cultus publicus ex idololatria, aut κακοζηλίᾳ conterminarum gentium vitium traxisset, in omnium ordinum vitia acerbis salsisque invehentes increpationibus, severa Dei vindicis judicia denunciantes, & ad pœnitentiam hinc suasionibus, hinc comminationibus, invitantes; quod Ezechielis vocatio atque instructio divina, Ez. III, 17 sqq. generalis illa muneris prophetici descriptio, 2. Reg. XVII, 13 sqq. & exemplorum Jud. II, 1 sqq. & alibi passim, copia docet. Hinc commode Hebræus ille in *libro Cosri P. I. §. II. edit. Buxtorff. p. 15.* Prophetas descripturus, eos dicit: כמו היועצים מזהירים על תורת יי מעידים בגמול הטוב לשומרה וענש הקשה לממרה אותה: *velut consiliarios, ad observantiam legis adhortantes, & præmia quidem observantibus promittentes, pœnas vero graves inobedientibus denunciantes:* quocum R. Salomo Jarchi conspirat, *in Exod. VII, 1.* ita commentatus: כל לשון נביא אדם המכריז ומשמיע לעם דברי תוכחות *Prophetæ vocabulum ubique significat hominem præconiantem, & populo verba objurgatoria proponentem.* E Christianis Patribus paria tradit Lactantius *Lib. I. divin. Instit. cap. IV. Opp. p. 11.* inquiens: *Idcirco a Deo mittebantur Prophetæ, ut & præcones essent majestatis ejus, & correctores pravitatis humanæ.* Sed & γ) in denunciandis futuris partim os Dei erant ad populum, qui sive consulti & sententiam rogati, sive ultro a Domino missi, de venturis aut rebus dubiis respon-

esponsa dabant, atque tum in præsentissimo reipublicæ discrimine Jes. VII, 1 sqq. XXXVII, 21. tum in ancipiti consiliorum eventu 1. Reg. XXII, 5 sqq. tum in levioribus quoque, nec magni momenti negotiis, (ne scilicet gentilium auguria & divinationes captarent homines, quam Origenes *lib. II. contra Celsum* rationem reddit) velut 1. Sam. IX, 6. quid facto opus, ut quid eventurum sit, prænunciabant. *Hanc autem fuisse consuetudinem populi Israel, ut, quicquid scire cupiebant a Domino, quærerent per Prophetas, multa exempla testantur*, inquit Hieronymus *Comment. in Ezech. XX, 1. T. V. Opp. f. 208.* & variis dein exemplis demonstrat. Confer huc Jes. XXX, 2. Habac. I, 1. Zach. VII, 3. Partim os populi erant ad Deum, nomine populi Deum de futuris, vel agendis aut omittendis sciscitantes, velut Jerobeam per Ahiam Siluntinum, 1. Reg. XIV, 2. 3. Josaphat per Elisam, c. XXII, 5. 8. Hiskias per Jesaiam, 2. Reg. XIX, 2. 3. seniores populi per Ezechielem, Ezech. XIV, 1. XX, 1 sqq. Dominum interrogabant. Tandem quoque δ) intercessores pro populo, vel pro privatis, Dei vel gratiam vel opem ambientibus, erant, qui, fusis ad Deum precibus, grassantia Dei judicia sisterent, vel imminentia arcerent, ut ex Gen. XX, 7. 2. Reg. XIX, 2 sqq. Jer. XXVII, 18. Joël. II, 17. ad oculum patet. Nonnunquam etiam ε) partem reipublicæ attingebant, & vel Regibus a consiliis erant, quales Jesaias, Jeremias, Daniel; vel extraordinarii tam ecclesiastici, quam politici regiminis vindices, velut cum Samuel Agagum trucidaret, 1. Sam. XV, 33. & Elias in Baalitas, 1. Reg. XVIII, 40. & Elisa in religionis transfugas animadverteret c. XIX, 17. Demum ζ) horum aliqui non annalium modo, sed & librorum sacrorum, & canonis Vet. Testamenti conditores, divino suggerente Spiritu, erant, quorum calamo & manu historia sacra, & divina illa credendorum atque faciendorum norma exarata, & ad posteritatem Dei beneficio transmissa est, 1. Chron. XXIX, 29. 2. Chron. IX, 29.

 XII,

XII, 15. Luc. XXIV, 27. XVI, 29. Iidem vero an in proprio ac genuino officio suo ספרים Scribæ fuerint, disceptatur hodie inter eruditos. Et dudum quidem Nic. Serarius, ut nil definiat, observavit tamen, *quia prophetia divinorum quandoque oraculorum interpretationem significat 1. Cor. XIV. hinc fieri, ut Chaldæus Thargum pro Prophetis vertat interdum Scribas, ut 4. Regum XXIII, 2. Paralip. XXXV, 8. Jer. XXVI, 11. & c. XXIX, 2. in Trihæres. L. II. cap. 7. § 3. p. 107.* Postmodum vero in alium longe sensum illam Chaldæi Paraphrastæ vocum permutationem rapuit Richard. Simon, qui Scribarum & Prophetarum voces pro Synonymis in Targum ideo haberi contendit, quia Prophetæ proprie Scribæ & Actuarii publici fuerint. Hoc enim εὑρήματι omnem Scripturæ θεοπνευςίαν, velut per cuniculum subvertere, in specioso illo *Historiæ Criticæ V. T.* opere satagens, *Lib. I. cap. 2. p. 16 sq.* ita aggreditur, ut Prophetarum munus fuisse doceat, præcipuas imperii res scribere, & archivis consignare. Non enim, Josepho *Lib. II. contra Apionem*, & Eusebio *in Præparat. Evangel.* testibus, cuivis inter Judæos fas fuisse annales condere, sed solis Prophetis; unde נביאים proprie notent oratores ejusmodi & Actuarios publicos, qui instar interpretum Dei, ejus voluntatem populo quidem annunciabant, simul vero præcipua sui temporis gesta, & acta publica ad posterorum memoriam describebant, & archivis consignabant; unde post libri sacri dicti prophetici fuerint. Ex quibus præmissis postmodum talia elicit consectaria, quibus omnem Scripturæ V. T. autoritatem ac fidem in discrimen adducit. Demus vero licet, Prophetarum aliquos annales composuisse, omnes tamen idem fecisse, unde probaverit? & in eo potissimam prophetici muneris rationem fuisse sitam? nec aliud quid notare נביא quam Actuarium ejusmodi, publica ad id autoritate constitutum, ut acta publica conderet, & archivis consignaret? Cumque peculiarem

rem hunc Notariorum istorum, seu Scribarum publicorum (nec enim alios, aut diversos ab his Prophetas novit,) ordinem in republ. Hebræa statuat, a Mose ipso primitus institutum, quibus eum antiquitatis monumentis demonstrabit? In rebus enim facti, tot cumprimis seculorum intervallis a nobis dissitis, non quidlibet audendi æqua cuilibet est potestas, sed tabulæ sunt producendæ, ac idonea documenta, quorum testificatione fides dictis concilietur. Et ספרים quidem, sive Scribarum ecclesiasticorum ante Davidem expressa mentio in Scripturis nulla est, nedum ut a Mosis jam ætate in populo Dei, tanta cum autoritate floruerint. Cumque Moses universam reipubl. Judaicæ constitutionem, ac faciem veluti, in Pentateucho quam accuratissime delineet, qui fit, malum! ut illustrem hunc ordinem silentio plane transmittat, a se tamen, quod vult Simonius, institutum, nec vestigio ullo quicquam de eo prodat? Cum tamen τῶ נביאים mentionem plus vice simplici injiciat, nuspiam tamen in eo significatu, qui Actuarios reipublicæ insinuet. Et unde tandem Simonio mysterium istud, tot ante ipsum seculis incognitum, innotuit? Josephi enim vel Eusebii autoritate in rebus, tanto temporum hiatu ab ipsorum ætate remotis, stare nec poterat, nec debebat. Et plus omnino infert Simonius, quam vel Josephus aliquis, vel Eusebius testati unquam fuerunt. Sed ne justo simus prolixiores, vela contrahimus, cupidumque talium lectorem ad Heideggeri remittimus *Exercit. VIII. Bibl. p. 215 sqq.* qua de industria profligando huic Simonis commento insudat.

XVII.

Properamus ad metam, atque paucis adhuc characteres istos sive criteria ostendemus, ex quibus veri Prophetæ a falsis, oracula genuina a spuriis, discriminabantur. Pseudoprophetarum enim, qui rudis popelli simplicitati proterve illudebant, cum tanta esset copia, ut ipsi de eo conquererentur Judæi, Jer.

XXIII, 15. 16. e re cumprimis erat, certa noſſe argumenta & indicia, ex quibus divina verorum Prophetarum miſſio, & immota oraculorum, quæ edebant, veritas indubie conſtaret. In his vero 1) erat exacta prophetiæ cum canone doctrinæ Patriarchalis atque Moſaicæ conſenſio, Jeſ. VIII, 19. 20. Ab hac qui in transverſum diſcederet norma, aut alterius, præter Jehovam, Dei cultum commendaret, Pſeudopropheta inde habendus erat, Deut. XIII, 1. 2. maxime cum eo fine mitterentur Prophetæ, ut corruptelas doctrinæ vel morum emendarent, magnaque muneris prophetici pars in depravati cultus reſtauratione verſaretur: 2) implementum prophetiæ, ſi de eventibus eſſet brevi extituris, Deut. XVIII, 21 ſq. Jer. XXVIII, 9. Hinc Samuel verus Propheta, & fidelis Dei ſervus agnoſcebatur, quod eventus ſemper prædictionibus reſponderet, 1. Sam. III, 19. 20. Ubi tamen exceptio pœnitentiæ in prædictione pœnarum, & defectionis, vel etiam crucis, in prædictione beneficiorum, nec non conditionum omnium, quibus circumſcripta & limitata erat prophetia, locum omnino habet, juxta Jerem. XVIII, 8. 9. 10. ut eapropter Jonas, Ninevitis ruinam minatus, Pſeudoprophetæ tamen notam non mereatur, licet alia omnia evenirent: 3) conſenſus & teſtimonium aliorum Prophetarum, notæ probatæque autoritatis. Omnes enim uno agebantur Spiritu veritatis, nec adeo alter alterius e medio tollere vaticinia, vel improbare poterat, uterque ſi Numine eſſet plenus, Jeſ. VIII, 2. Jer. XXVI, 16-20. 4) vitæ quoque integritas, & gravitas morum huc refertur, ea tamen cautela adhibita, quam ſupra §. XI. inſinuavimus, ut licet impii cujusdam uteretur Deus miniſterio, miniſtri tamen perſonam atque vitia abominaretur, Jerem. XXIII, 14. 5) mirum oraculorum pondus, ἐνέργεια & ἐν τοῖς λόγοις δεινότης, qua, ſi minus obluctantes in aſſenſum pertraherent, percellerent tamen & in ſtuporem agerent nonnunquam, juxta illud Jerem. XXIII, 28. 29. Certe

loquente

oquente Deo, filet omnis caro, Zach. II, 13. interdum etiam 6) miraculis confirmabat eorum miſſionem Deus, maxime cum vel in dubium ea vocaretur, vel nondum ſatis perſpecta populo & cognita eſſet, ut Moſis Exod. IV, 1 ſqq. Prophetæ illius, qui ira adverſus Jerobeamum prolocutus, miraculoſa altaris ciſſione & effuſione cineris, fidem dictis faciebat, 1. Reg. XIII, ſq. & Eliæ 1. Reg. XVIII, 37. exemplis conſtat. Ea vero neceſſaria non ſemper fuiſſe, vel ipſimet Judæi agnoſcunt, teſte Maimonide *Fundam. Leg. c. X. Sect. I.* Vide Hottinger. *Theſ. Philol. L. II. cap. 3. Sect. 4. p. 564.* ſed & 7) modeſta illorum, verum conſtans ſibi παῤῥησία, qua tum miſſionis ſuæ divinitatem aſſerebant, tum intrepide & ſæpe cum vitæ diſcrimine, Reges atque potentes peccati arguebant, ad autoritatem ipſis apud auditores conciliandam, haud parum conferebat. Hac velut ſacra anchora, in ſummo vitæ periculo, nitebatur Jeremias, qui ad cunctos dixit Principes, & ad totum populum dicendo: *Jehova miſit me, ut prophetarem contra domum iſtam, & contra civitatem hanc omnia verba, quæ audiſtis, veruntamen ſciendo ſciatis, quod occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis ſuper vos, & ſuper civitatem iſtam, ſuper habitatores ejus*, כי באמת *quia vera miſit me Jehova ad vos, ut loquerer in auribus veſtris omnia verba iſta*, Jer. XXVI, 13. 15. Confer, qua παῤῥησίᾳ adverſus Achabum utatur Elias, 1. Reg. XXI, 20. Tandem accedebant 8) varia divinitatis documenta, quibus ſupremum Numen autoritatem ſervis ſuis aſſerebat, cum vel repentina ac inſolita vindicta in eos animadverteret, qui pertinaciter illis obnitebantur, Num. XII. XVI. 2. Reg. I. & II. vel tam proſperos prædicationi ipſorum largiretur ſucceſſus, ut humanæ facundiæ ſortem illi ſuperarent, vel quocunque alio modo fidem ipſis conciliaret. Addunt alii alia, & in eis explicandis prolixe & cum cura verſantur, e noſtris b. Hülſemann. *Prol. in Jerem. cap. VI. pag. 26.* & b. Urſinus *Analect. Sacr.*

Vol.

Vol. II. Lib. IV. cap. 7. pag. 170 ſq. e Reformatis cumprimis Witſius *T. I. Miſcellan. ſacr. Lib. I. cap. XV. pag. 131 ſqq.* & Dav. Knibbe *Hiſtor. Prophetar. Lib. I. cap. 18. pag. 132 ſqq.* e Judæis tandem, & ex ipſorum mente, collocutor ille Limborchii *in amica collatione de veritate religionis Chriſtianæ, ſcripto III. quæſito 3. num. 1. 7. 8. 9. p. 95. 107 ſqq.* ad quos L. B. remittimus. Reliqua ſat multa, quæ de neceſſitate & utilitate Prophetarum & vaticiniorum, de eorum fine, autoritate ac honore, miſeriis rurſus & afflictionibus, gravitate muneris, tum quoque de eorum victu, veſtitu, unctione, tandem de Prophetarum V. T. duratione atque termino &c. afferri in medium poterant, nunc quidem, tempore excluſi, aliisque nimium diſtracti occupationibus, ſcientes prætermimus; DEO O. M. pro præſtito nobis auxilio ſuo, gratias decernentes immortales.

